
יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΧΡΙΣΤΟΥ.

ARABUM PHILOSOPHIA POPULARIS,

SIVE

SYLLOGE NOVA PROVERBIORUM.

A

JACOBO SALOMONE DAMASCENO

DICTATA EXCEPIT ET INTERPRETATUS EST

PERILLUSTRIS VIR

FRIDERICUS ROSTGAARD, p. m.

EDIDIT CUM ADNOTATIONIBUS NONNULLIS

JOANNES CHRISTIANUS KALLIUS.



HAFNIÆ, 1764.

Typis *Directoris* Sacr. Reg. MAJESTATIS & *Univ.* Typographiæ *N. C. Höpffneri.*

ILLUSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
HEROI,
DOMINO
OTTONI THOTT,
IN GAUNOE, LINDESVOLD
ET
STRANDEGAARD
DYNASTÆ,
EQVITI ORDINIS ELEPHANTINI,
S.R.M. à CONSILIIS IN SENATU SANCTIORE
INTIMIS,
SUPREMO CANCELLARIÆ DANICÆ
MAGISTRO,
GENERALI ECCLESIARUM PER
UTRUMQVE REGNUM
INSPECTORI PRIMARIO,
COLLEGII, QVOD PROMOVERE CURSUM
EVANGELII STUDET,
AC ITEM REGIÆ SCIENTIARUM
SOCIETATIS
PRÆSIDI,
UNIVERSITATIS REGIÆ
HAFNIENSIS
BENIGNISSIMO CONSERVATORI,
VERE PATRONO AC STATORI
LITTERARUM
OPTIMO MAXIMO!

[illegible]

HEROS ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME!

Equidem nihil esse justius existimo, quam ut *vere magnis Viris* quibuscumque tribuantur solidæ laudes suæ & ad gratam posterorum omnium memoriam transmittantur. In primis æqvum est maxime, ut habeatur iste honor iis, qui, ad rei publicæ gubernacula qvum sedeant in sublimi dignitate positi; ex pietatis atque virtutis serio cultu, ex indefessa gravissimorum ad patriæ salutem provehendam labo-

laborum patientia, ex insigni amore ac patrocinio litterarum, ex religiosa juris observantia & innocentium hominum protectione, ex optimorum quorumcumque civium aucta felicitate, ex perpetuo denique studio bene merendi de singulis, potiorem quam quæ ex natalium splendore ac imaginibus Majorum aut amplissimis fortunæ muneribus est, gloriam ducunt. Talem enimuero TE, HEROS ILLUSTRISSIME, dudum omnes in tot illis, per quæ ad summa tandem enisus es, officiis semper maximo cum plausu patriæque certo emolumento administratis cognovimus, longoque probatum usu veneramur. Quamvis igitur, qui *Magnatibus* inscribunt lucubrationes suas, in eorum laudibus

fere

fere nimii ſint & adulationis ſuſpecti vulgo habeantur; mihi tamen certe dicam hanc nemo ſcriberet, ſi, dum EXCELLENTISSIMO NOMINI TUO mente ac manu devota opellam hanc meam dico atque conſecro, fulgidisſimam ſimul eminentium undequaque ornamentorum TUORUM quaſi tabulam ſuſpendere ac publice contemplandam proponere tentarem. Sed de rebus maximis tacere, quam dicere incomte aut omnino male, præſtat. Sentio enim ipſe quam illi negotio impar ſim, vivisque pingendam coloribus tam amabilem, tam admirabilem, imaginem perito magis artifici lubens relinquo. Et profecto verecundiam meam TU, DOMINE, non improbabis, qui laudan-


יהוה
INSTITVTIO THEOLOGICA
ANDOVER. FVNDATA MDCCCVII.
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι
ΡΟΓΩΝΙ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

Meum hoc votum addo: noli, DOMINE, quod ſtrenæ loco TIBI ſupplex offero munuſculum aſpernari, & clientelæ TUAE commendatum porro habe

EXCELLENTISSIMI ATQVE ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Scrib. HAFNIÆ
Prid. Kal. Januar.
cIↃIↃCCLXIV.

ad ipſos usque cineres cultorem
humillimum

Joannem Chriſtianum Kallium.

L. B. S.



L. B. S.

Litteratæ Daniæ magnum decus, vir perillustris FRIDERICUS ROSTGAARD ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, nobili quamvis loco & in lauta re natus esset, arabicam tamen linguam diligenter coluit, raro in illa fortuna exemplo. Ejus magistrum Parisiis inuenit JACOBUM SALOMONEM, hominem Damascenum; nescio an eumdem, qui alio nomine vocatus est SALOMO NEGRI. Postea Romæ consuluit JOSEPHUM BANESE, Syrum Maronitam. Prior ille (ut *Rostgaardianos* in studio arabico labores alios taceam) proverbia ista cum viro perillustri communicavit & latine inter-

interpretatus est omnia; plurimorum quoque usum explicavit. Singula seduló excepta schedis tunc mandabat discipulus, eo quidem modo quem p. 106. descripsi. Sic libellus iste natus est, quem collector suus non inepte *Arabum philosophiam popularem* adpellavit. Continet is non mera ubique proverbia; sed passim aliqua sententiose dicta, etiam ex poëtis. In utroque genere observavi aliquampauca jam in aliis libris vulgata; sed ea resecare ab opusculo non meo nefas duxi.

Fata libelli hæc sunt. Venerat is, dum adhuc vivebat ejus collector, in manus b. MATTHIAE ANCHERSENII, Ripensium Præsulis, viri de litteris orientalibus ac præsertim arabicis meritissimi; e cujus bibliotheca, quando ea publice divendebatur, ego illum cum nonnullis codicibus aliis coëmi. Quod qvum perillustris collector proverbiorum horum rescivisset, rogavit, ut ea notulis hinc inde illustrata ederem. Ego id me facturum promittebam. Sed effecerunt interpellationes & occupationes aliæ graviores, ut opusculo huic manum admovere non possem ante annum abhinc septimum, quando coepi proverbia ista in

exer-

exercitiis disputatoriis ventilanda proponere, donec ad eorum finem ipsum pervenissem. Atque nunc ea tandem, post novam moram, in libellum collecta, sed qualia tunc fuerunt, in lucem emitto, ratus, non ingratum id iis fore, qui arabicas litteras amant.

Orthographiam perillustris viri utplurimum retinui; sed quando ea vel dubia vel omnino falsa videbatur, in notis lectorem commonefeci. Puncta vocalia tantum non ubique addidi ego. In versione latina & singulorum proverbiorum usu significando nihil immutavi. Quando tacebat vir perillustris de usu hoc, ego, sed fere tantum ex ingenio & per conjecturas, defectum hunc supplevi; adeoque veriora tradenti lubens adsurgam.

Restat, ut quæ mihi observata sunt vitia operarum enotem, atque simul hac occasione hypomnemata quædam subjungam. Nimirum

in explicatione proverbii 3. خلّاه scribe;

in prov. 4. آلبنت & بارت atque sic item in prov. 200. sublato heic *Medda*;

ad subjectam prov. 6. adnotationem confer prov. 474. ubi العبد *hominem* significat;

in



in prov. 12. رأيت lege: &, ſi vis, يركد quia heic τὸ أنْ ſubauditur. Ceterum rurſus idem verbum hoc in prov. 178. *currendi* ſenſu, ac item مسعد in prov. 444. uſu venit;

in prov. 15. ſcribendum videtur رُحنا ad normam verborum *Ain Vav*;

in prov. 16. poſſit eſſe تنغية & in prov. 17. تناخذ ob أن ſubintellectum;

in prov. 17. lege بنتّا & سَنْ

in notis ad prov. 19. monui de τῷ شحد unde legi heic poſſet شُحّذت & cujus derivatum nomen eſt شحّان pro quo item in prov. 207. ſcribitur شحان *mendicus*;

in prov. 24. eſt vox تعريض quæ in prov. 275. recurrit. Manifeſto ea præ ſe fert infinitivi formam in conjugatione ſecunda. Atqui utuntur Arabes nonnumquam infinitivo pro imprecatione ſignificanda, ut qvum dicunt خَيْبَةً لَهُ *ſucceſſu careat!* An ita heic etiam legendum تَعْرِيضُ vel تَعْرِيضًا ? Et verum eſt quidem, quod p. 139. dixi, ſub τῷ عرص nihil in lexicis occurrere quod commodum heic ſit. Sed in τῷ عرض &

ejus

ejus derivatis complura invenias satis heic apta. Unam hanc phrasin enoto عَرَضَتِ ٱلْجَارِيَةَ عَلَى ٱلْبَيْعِ femina *venum exposuit puellam*: unde jam facile intelligas, quænam illa sit quæ in prov. 343. معرصة (pro معرضة) vocatur, nimirùm *lena*, venum exponens puellas;

in prov. 28. scribe sis آنْ فَعِ quia *Nun vocale* quod præcedit, negligitur in pronunciando, ante *Elif unionis*; Ibidem, ac in prov. 515. نَصّ novo significatu *dimidiæ partis* venit, ni utrobique legendum sit نُصْفُ

In prov. 30. عَصِي scribere præstat;

in prov. 33. lege ٱلْنُغَّار

in prov. 38. si verum est quod GIGGEIUS dixit, male quartam verbi شغل conjugationem pro prima usurpari, legere possis أَشْغَلَ

in prov. 39. malim وَحْدَهُ

in prov. 45. يضيعها, in 46. يُعِدُّ, in 52. أَطْعِمْهَا

in prov. 54. عَلَيْكَ. Ibidem ac in prov. 55. legi posset فَوْقَ & تَحْتَ auctoritate GOLII atque CASTELLI. Nec ineptum tamen quod nunc est in textu;

in

in prov. 56. تهتك quia ſubauditur أن

in prov. 60. mallem, ni obſtaret rhythmus, تهلك vel تهلك nempe prout لا vel *ne* vel *non* ſignificare dixeris;

in prov. 61. تغربهم & تصفني quia heic ſubintelligitur أن

ad prov. 63. confer quæ de vocis أرج pleonasmo *p.* 88. monentur;

in prov. 68. lege البيض

in prov. 70. ac rurſus in prov. 342. proba vox videtur بخش *foramen*, è verbo بخش, *perforavit*, quod in prov. 526. habes;

in prov. 71. يطعم & ألا (non ألا)

ad prov. 73. in notis obſerva, quod dualia æque ac pluralia inhumana ſæpe in ſyntaxi arabica æquipolleant ſingularibus femininis. Manere tamen poteſt quod in textu eſt, ſi vertas: *duos melones* quod attinet, *non* illi &c.

in prov. 74. البطن & النعم

in prov. 76. يمتلي

in vocibus الحاوي & الحاوي prov. 77. *Je* finale omitti potuiſſet; & poſterior hæc commodius ex verbo حوي deducitur, q.d. *congregator* ſerpentum;

in

in prov. 85. واخري

in prov. 92. (ut antea in 73. ac deinde rursus in prov. 122.) habes أيد quasi nomen singulare. Permittit tamen syntaxis arabica ut plurale sit, dum scribas أيديها.

quæ ad prov. 92. monui de voce ثم, ea non quadrant in reliquis deinde locis (prov. 251. 357. 472.) ubi vox illa recurrit;

in explicatione prov. 93. lege ألسديين & والسوال

quod in explicatione prov. 94. perillustris vir ait de *candida* cidari Mohammedanorum, cum eo confer proverbium 201.

in prov. 98. lege السبع

in prov. 105. قط & لا تناجر

ad prov. 106. monui de pleonasmo, quem vitiosum puto, præfixi τοῦ ب ante futura, qui tamen frequenter satis recurrit. Vide prov. 185. 227. 261. 273. 291. 306. 490. 528. 537.

ad prov. 115. confer proverbium 174.

in prov. 119. rectius foret *adsequeretur*;

in prov. 138. malim الحسل

in prov. 139. lege عقط

in prov. 142. وٱلبلح

in prov. 143. فحيبات Et de peregrino nomine ارم conf. not. ad prov. 205.

in prov. 145. بالقنينة, in 146. إخري & في, in 147. الغمرآء & الخمرآء

in prov. 153. تشرب & in 162. تصغم quia utrimque *Kesra* est in præterito;

in prov. 165. lege نقن

quæ in proverbio hoc sunt vocabula طنّاع & طيز deinde recurrunt, illud in prov. 257. 258., hoc in 261. 262.

in prov. 168. scribendum البخالة

in nota ad prov. 172. lege CCXLIX.

in prov. 173. عشآءة, in 175. الرزق, in 179. ألعبآء

in nota ad prov. 182. حنطةً

in prov. 185. في

cum prov. 186. confer 297.

in prov. 191. scribe الرخآء

cum prov. 196. confer 508.

in prov. 200. triplex *Medda* tollatur, quod item abundat in 201., ubi porro scribe شاشاتهم عاطيهم & ألله

in



in prov. 203. *Medda* ter abundat, & bis in proverbio 205.

in prov. 206. لـلـجـوعـان & بـطـنًـا quod est pro بَـطـيـنًـا

in nota ad prov. 211. suppono, رُبَّـا pro رُبَّـي alternare posse, uti vicissim فَـي pro فِـي venit in proverbio 306.

in nota ad prov. 213. يـسـرف scribendum erat. Quia vero sic turbaretur proverbii hujus ordo, maneat potius يـشـرق quamquam novo significatu auctum;

in prov. 219. بـالـتَّـطـحـيـن

in versione prov. 221. quoniam heic non sunt futura apocopata, malim *non vident nec intuentur;* nimirum homines hi: nam عـيـون utpote nomen membri natura gemini, foret femininum;

in prov. 222. malim مـشـنَـقـة & scribo مـاتـت omisso *Medda.*

in prov. 225. شـامـي & الـشـيِّـد Rursus in 226. شُـامـي

in prov. 230. الـصُّـبـر

in prov. 233. وَلـيـبـغـت

 in

in prov. 239. يبكبة & كانت

in prov. 243. مُغَاصٌ & الرأس

in prov. 247. طايسرة, in 256. غرام

in prov. 262. تخري ob ان subintellectum;

in prov. 263. ينتفخ

in prov. 265. العبد

in prov. 269. lege sis ايدية & cum phrasi hac confer Jobæam illam c. XV, 23. בְּיָדוֹ

in prov. 275. السلطان, in 278. 281. 282. وأس

in prov. 286. أنا

in prov. 291. possis etiam scribere يُبان ut in prov. 528.

cum prov. 296. confer 527.

in prov. 302. lege الغريب & in 315. وتغوا

in prov. 322. غريب

in prov. 332. an scribendum يرزقوننا

in prov. 333. scribe النقوم, in 336. ولو, in 337. جوعان

in prov. 339. legendum forte الغُغُل vel الغُغَّال

in prov. 340. lege تنتفخ

in prov. 342. GOLIUS مسربة scribit sine *Teschdid*; de

*

ſe ṇṇ عسرص in prov. 343. vide quæ hèic monui ad prov. 24.

in prov. 347. τὸ قعي ὀνοματοποιητικὸν eſſe videtur & ipſum *balatus* ſonum exprimere, prout hebraice געה eſt *mugire*. Sic arabice غاق eſt *crocitatio* corvi. Alia plura hujus generis omitto;

in nota ad prov. 349. lege العَغَبارية

in prov. 352. لبقِّبيت

in prov. 374. الحديدُ & سُطا

cum idiotiſmo vocis باب in prov. 376. confer prov. 495. & *Golianam* phraſin هُوَ مِنْ هَذَا آلبَّابِ i. e. *iſtud huc pertinet;*

in prov. 377. lege غريبَ الشام

in prov. 382. omnino ſcribendum يَكُرُّ

in prov. 386. legi poteſt يَحْمِلُ هَمًّ *portat ſollicitudinem;*

in prov. 394. ſcribe الأصمُّ أعسر

in prov. 400. fere لَا بُدَّ أَنْ مَا يَغْلَط legerim; niſi malis τὸ أن omittere & ſubaudiendum relinquere ut in prov. 262. & ſæpius alibi;

in prov. 405. magis probo ſenſum dualem, adeoque وجهين ولسانين lego;

in prov. 410. quia est verbum *Hamzatum Lam*, scribi posset يجيء adeoque in prov. 412. تجيئة

in prov. 420. vel بلطخة scribendum, vel بلغصة quam posteriorem vocem e *Sapient.* XVIII, 12. CASTELLUS notavit. Ibidem fere malim يتغبّة vel ينغبة dummodo verba hæc etiam de aridarum rerum absorptione dicantur;

in prov. 424. (ut antea in 205.) maneat ريحة *odor;*

in prov. 425. studio scriptum تحسب rhythmi caussa;

in prov. 431. lege لحماتة & sic item in nota subjecta حماتة

in prov. 442. bis scribe يوطئ

in nota ad prov. 443. lege RAVANELLUM;

in prov. 450. est verbum تدبّر *duci, regi,* quo item Arabs *Erpenianus* utitur *rom.* VIII, 14. Ibidem أمّة *coetus unam aliquam religionem professus;* coranica vox. Vide *Sur.* II, 208.

in prov. 471. حنك *palatum* potius dicit quam *maxillam;* ut hebr. חֵךְ

in

in prov. 481. legere posſis سَلَم

in prov. 485. lege بَجَا

in prov. 489. Mstum habebat عامون vitioſe ut puto;

in prov. 494. legas licet شغبيلات in accuſativo constructo, loco nominativi abſoluti, poſt لَا *non ſunt;*

in prov. 495. يغتتج per *Fe;*

in prov. 497. مِن, in 508. التِّعاج in 510. كَغه

in prov. 511. بِالهندسة, in 512. الضّربات

in prov. 513. ſi GIGGEIO credas, وَطّي ex vulgi more ſcriptum pro وَطّأ

in prov. 521. 522. 524. verſionem omiſi, pudoris cauſſa;

in prov. 522. بولان & in nota فولان lege;

in prov. 532. نمس *muſtela* redditur cum GOLIO *ad Locmanni fab.* 33., ſed idem in lexico *ichneumonem* interpretatur;

in prov. 535. tertia perſona venit pro ſecunda, ut in frequentisſima Corani formula يَا أَيُّهَا الَّذِينَ آمَنُوا i. e. *o vos qui creditis!*


in

in prov. 539. بطبخ scribe, si nomen hoc inuariabile sit;


in prov. 540. lege CCCLXVIII. Ibidem probæ formulæ sunt ما اصعب & ما اهون ut in exemplo *Goliano* مَا أَحْسَنَ زَيْدًا *quam optimus est Zeidus!* Sed nonnihil offendit suffixum ـهَا absolute ac neutraliter positum, nullo nomine antegresso; confer tamen prov. 45.

in prov. 542. nota pro 181. lege 173.

Hæc erant, quorum Te monendum duxi. Nunc labore hoc nostro fruere si vis, benevole Lector, atque ex voto Tuo & meo vale. Scrib. Hafniæ prid. Kal. CIↃIↃCCLXIV.



ELIF



ELIF.

I.

الأخ ما هو لأخوه ❀

Frater non est fratri suo. (a) i. e. Ne frater quidem fratrem iuuat, ideoque res suas unusquisque debet curare, neque nimiam in aliis fiduciam reponere. Conuenit cum dicto Dauidis *Ps. XLVIII*, 7. *Frater non redemit, redimet homo?* (b)

(a) Hoc sensu لأخيه scribendum. Ex altera lectione ita uerte: *Frater non est frater eius*, nempe τοῦ δεῖνος frustra opem implorantis, & uel ab optimo, quem putabat, amico destitutum se uidentis. Erit itaque τὸ ل πλεονασμὸν, ut saepe alias, praesertim ubi praecessit إنّ *certe*.

(b) Male citantur uerba *Ps. XLIX*, 8. ex praua uersione *interpretis uulgati*. Ad rem praesentem aptior fuisset gnome Salomonaea *Prov. XVII*, 17. ואח לצרה יולד ubi uide sis uenerandi CHR. BENED. MICHAELIS *notas uberiores*, et *Biblia germanica* GUST. GEOR. ZELTNERI.

II.

أَخِي شُقَيِّقِي جَعَلَنِي لِلْعِدَا تُرْسَهُ
وَكُلُّ فَتَى جَيِّدٍ يُقَدِّمُ ٱلنَّارَ إِلَى قُرْصِهِ ۞

Frater meus germanus posuit me contra hostes (a) *in clypeum suum*, (b),
Et omnis uir ingeniosus accersit (c) *ignem ad placentam suam.*

Respondet ad uerbum prouerbio danico *Hver rager Ild til sin egen Kage.*

(a) للعدى scribendum erat, lexicorum fide.
(b) Latine: *me usus est clypei instar.* Ex τῷ ترس ut chald. תריס, sic item græc. θυρεὸς deriua.
(c) *Primus* nimirum, seu prima quaque occasione. Nam eo uerbum يقدم ualet. Ceterum elegans sententia eos perstringit, qui, ut euadant ipsi, periculis callide obiectant incautos amicos, atque, etiam quum *liberales* uideri uolunt & *boni*, (sic phrasin فتي جيد intelligo. Solet جيد opponi τῷ ردى *homini* inquam *perdito* ac *corrupto*. Vide inferius N. C.) id tamen unice agunt, ut commoda sua quærant.

III.

خُذْ أَصِيلَا وَنَامْ عَلَى ٱلْحَصِيرِ ۞

Duc generosam & bene natam mulierem (a) *& cuba super storea.* Non diuitiarum in matrimonio, sed nobilitatis, honoris & bonæ indolis habendam esse rationem. Storea est pauperibus pro tapetis pretiosis diuitum; unde pro symbolo summæ pau-

per-

pertatis ab Arabibus sumi solet. Dicunt enim هَذَا عَلَى ٱلْحَصِيرِ *hicce homo est super storea*, uel super storea sedet & cubat, i. e. ualde pauper est. Etiam خَلَّاهُ عَلَى ٱلْحَصِيرِ *reliquit eum super storea*, i. e. omnibus bonis spoliauit eum.

(a) Mallem ergo أَصِيلَةٌ scribere, forma feminina. Pro وَنَامَ grammatica وَنَمْ postulat. Ex اصيل GOLIUS, POCOCKIUS *ad carmen TOGRAI p.* 6. CASTELLUS & IO. SIMON in *arcano format. nominum hebr. p.* 94. hebræum אצילים *exod. XXIV*, 11. interpretantur *principes uiros*, *optimates*. أخذ *cepit*, *sumsit*; hinc uxorem *duxit in matrimonium*, ut hebraice לקח multis in locis, ubi fere Arabes suum أخذ ponunt, æque ac *Marc. XII*, 19. *sq.* pro græco λαμβάνειν γυναῖκα, qua phrasi & POLYBIUS apud RAPHELIUM est usus, atque item, teste DAN. WILH. TRILLERO *L. III. obseruat. criticar. C. XXI. p.* 244., optimi quique auctores. Et omnino XENOPHON illo sensu simpliciter λαμβάνειν dixisse uidetur HENR. STEPHANO. Exstat locus in eius *historiis græcis L. IV. C. I*, 7. *p.* 194. edit. Oxon. 1703.

IV.

خُذِ ٱلْبِنْتَ وَلَوْ بَارَتْ ۞

Duc filiam, licet ætate adeo sit prouecta, ut gignere (a) nequeat.

(a) *Parere.* بِنْت ut apud gallos *une fille*, heic pro *uirgine* ualet. Eam in matrimonium ducere suadet adagium, potius quam uel uiduam uel repudiatam. Puto, qvia hæc merito suspecta

suspecta habetur malorum morum, illa defuncti mariti virtutes & in se merita quotidie crepat. Adde quod uehementiores sint, atque sinceriores, amores primi. Quamuis igitur orientales in primis sint adpetentes liberorum, satius esse tamen, ut malum minus eligas, adeoque post suaue coniugium cum uxore, quam uirginem duxeras, etsi erat ea iam per ætatem pariendis liberis inidonea, tandem improles moriaris. Verbum بار quod de *terra inculta cultuvaue inepta* sæpius adhibetur, heic pro gentis more inflectitur ad metaphoricam significationem, quam uel pauca illa (nec enim lubet heic ingeniosum esse,) satis illustrant, quæ THO. GATAKERVS *de stilo N. T. C. XI.* est commentatus.

V.

خُذْ مَا تَيَسَّرَ وَٱتْرُكْ مَا تَعَسَّرَ ۞

Accipe quod in promtu est, & omitte quod difficile est.

Elegans rhythmus: qualis item in nominibus يُسْر atque عُسْر apud Impostorem, ubi religionem suam ut captu & obseruatu facilem, nec mysteriis onerosisque ac ingratis officiis, ut ille quidem putabat, molestam commendat, *Sur. II*, 181. (Marracc. 186.)

VI.

خُذْ مِنْ عَبْدِ ٱللّٰهِ وَٱتَّكِلْ عَلَى ٱللّٰهِ ۞

Accipe a seruo Dei, (i. e. ab homine) *& confide in Deum*. Formula, qua persuadent ægrotis, ut medicamenta e manu medici confidenter sumere non repugnent.

In arabismis censendum, quod *seruorum Dei* titulus hominibus tribuatur, (etiam absolute اَلْعِبَادُ *serui* dicuntur homines;) & *domini* uicissim nomen Deo. Vid. *N. XIII.*

VII.

أَدِّبِ ٱبْنَكَ وَأَحْسِنْ أَدَبَهُ إِنْ عَاشَ عَاشَ

بِأَدَبِهِ وَإِنْ مَاتَ مَاتَ بِأَجَلِهِ ۞

Castiga filium tuum, & bonam fac (a) castigationem eius. Si uiuit, uiuet institutione sua qua eum imbueris; *si uero moritur, morietur in termino uitæ suæ.* (*b*) Non parcendum liberis ob metum mortis, quam castigatione sua accelerari putant parentes, qui liberis suis nimium indulgent. Exhortatio ad castigandam adolescentiam.

(*a*) Arabismus, pro: *bene & quantum satis est castiga eum.* Sic item hebraice טחון היטב *deut. IX,* 21. ושאלת היטב *c. XIII,* 15. באר היטב *c. XXVII,* 8. Ex أَدَّبَ fœnerari lucem posse uidetur ἅπαξ λεγόμενον האדיב 1. *Sam. II,* 33. si uertas: *ad castigandum* animam tuam. Aliud est ענה את נפשו de homine qui ieiuniis semet ipse castigat.

(*b*) Vitæ terminum fatalem statuunt Mohammedani. Notum id satis, & ex pluribus deinde prouerbiis liquet. Quamuis dogma istud, ut alia multa, mitigare conatus sit HADR. RELANDUS.

VIII.

اَلْأَدَبُ لِلْوَلَدِ مِثْلُ ٱلزِّبْلِ لِلزَّرْعِ ۞

Castigatio (institutio) *puero est quemadmodum stercorum semini.*

Nimirum necessaria & utilis aeque ac fimus sementi.

IX.

إذا نُحُل عِيد بَرْبَارة الفَلّاح يُفَتّش لَهُ زَمّارة ✻

Cum uenit festum S. Barbarae, agricola quaerit sibi fistulam. Cum scilicet hoc festum in mensem Decembrem cadat; propter rigorem tempestatis agricolae a laboribus cessant, & instrumentis musicis fallere tempus coguntur.

Etsi فلاح *nautam* quoque significat, quod is mare sulcet; recte tamen uersum puto. Ante initium mensis Decembris plane peracta sementis est, quo fit ut otiari tunc agricola possit. Eo respici arbitror in adagio isto; ut moneamur, quando nihil superest, quod agatur, tum demum esse uoluptates sectandas. Venit autem prouerbium a christianis orientalibus, apud quos celebre fuisse nomen atque festum S. Barbarae uel ex *nouella MANUELIS Comneni Imp.* apud THEOD. BALSAMONEM in *scholiis ad PHOTII nomocanonem Tit. VII. c. 1.* constat: ubi quum docetur, quinam dies, cur ac quomodo feriati sint? dicatur S. Barbarae quartus Decembris. Eo igitur illius memoriam hodieque recolit, ut romana, (uid. BARONII *martyrologium p. m.* 743.) sic item graeca ecclesia, quod testantur a SIBERO edita *martyrologia p.* 401. 474. 487. Idem fit in *fastis aethiopicae ecclesiae*, tum apud LVDOLFUM *commentar. hist. aethiop. p.* 401. tum quoque in *codice* quem seruo *Msto.* Sed utrimque ad diem XXII. Septembris recurrit S. Barbarae nomen; eiusdem nescio an alterius. Ceterum S. Barbaram (بربارة) *sub Maximiano, qui Galerius est dictus*, martyrio perfunctam SAIDVS EBNO 'L BATRIK (qui deinde Melchitarum

alexan-

Alexandrinorum Patriarcha factus maluit EVTYCHIVS uocari) *T. I. Annalium p.* 413. memorat; eiusdemque ac Julianæ, sororum, uitam in MStis arabicis bibliothecæ Vaticanæ ASSEMANNUS *T. I. Biblioth. orient. p.* 586. & *T. III. P. I. p.* 286. recenset. Ibidem *T. I. p.* 63. mentio fit, ex codice syriaco, *monasterii S. Barbaræ, quod in monte Edessa situm est.* Dicatam S. Barbaræ habuit olim Constantinopolis & ædem sacram & illi uicinam portam ad Propontidem. Vide CANGIVM in *Constantinop. christiana L. I. p.* 56. 57. & *L. IV. p.* 144. Denique in Ægypto nobilem quemdam uirum christianum sub Mohammedanorum imperio S. Barbaræ splendidam ecclesiam struxisse, HERBELOTVS *biblioth. orient. p.* 184. narrat. Quæ quidem omnia nominis huius claritatem in oriente commonstrant.

X.

إِذَا دَخَلَ عِيدُ بَرْبَارَةْ تَكْثُرْ عُيُودُ ٱلنَّصَارَى

Cum uenit festum S. Barbaræ, multiplicantur festa christianorum. Usurpatur præcipue a Mohammedanis; quia mense Decembri, in quem cadit festum S. Barbaræ, etiam celebratur festum natalitiorum Christi, quod plura alia festa insequuntur.

Commodus prouerbii usus, quando idemtidem ac protracto longius quam par erat tempore otia ducuntur; atque item quando accidunt breui temporis spatio res complures denso agmine, ac sibi continuo succedunt. Formam pluralem عيوت GIGGEIVS, GOLIVS, CASTELLVS omittunt.

XI.

إِذَا دَخَلْتَ بَلَدَ ٱلْعُورَانِ أَعْوِرْ عَيْنَكَ

Si intraueris regionem monoculorum, occæca alterum oculum tuum. Ut scilicet eorum moribus te componas. Quadrat cum uulgari illo latinorum:

Si

Si fueris Romae, romano uiuito more; Si fueris alibi, uiuito ſicut ibi.

Submonet adagium, quod periculoſum ſit uelle ſapere ſupra eos, inter quos uiuas. Pro اعور potuiſſet ſcribi أعمى.

XII.

إذا رأيت المعتر يركض إعرف أنه بحاجة المسعد

Cum uideris miſerum currere, ſcito, illud eſſe pro negotio felicis i. e. diuitis.

Innuit ſententia, negotioſiſſimos eſſe pauperes ad ditiorum aucupandam gratiam; & horum potius, quam ſua commoda laboribus illorum augeri. In lexicis omiſſum ركض *currendi* quidem ſignificatu; ut mox *N. XIV.*: forte pertinet ad idiotismos alicuius dialecti. In ركض eſt quod huc inflectere poſſis, nec non in IX. coniugatione uerbi رقص (Mutantur enim paſſim ق & ك vide SCHVLTENS *clav. dialector. p.* 250. 295. 296.) Sic item Hebræum רקד etſi proprie ſignificat *ſaltare*, tamen *Nahum III*, 2. in phraſi מרכבה מרקדה currum innuit, qui *celerrime latus ſine impulſus* quaſi ſubſultat. Viderit GIGGEIVS, quo iure dixerit, formam مسعد *non uſurpari*, ſed pro ea مسعود dici: quamuis hunc ſequuti ducem GOLIVS etiam atque CASTELLVS prius illud minus recte dici pronuntient.

XIII.

إذا رأيت أعمى طبه ما انت أخبر من ربه

Si

Si uideris cæcum, percute eum; non tu es doctior domino (a) eius, qui eum cœcum reddidit. Existimantur cœci esse malitiosi, ideoque sortem ipsorum non esse adeo dolendam.

(a) Deo nimirum, quem *Dominum* κατ᾽ ἐξοχὴν Arabes adpellare solent, conf. *not. ad N. VI.* Ad litteram dura sententia; sed usu ac significatu uicina uidetur prouerbio illi nostro *Vogt dig for den Gud haver tegnet.* In uerbo طبّ *percutiendi* notionem lexica non habent. Aliquid eius obseruare est in τῷ نطّب *digito percussit aures eius.* خبير est *sciens, peritus, doctus.* Eo ualent radix خبر & complura eius deriuata; quin & nonnulla quæ sub themate حبر inueniuntur, e. g. أحبار quo nomine in Corano (*Sur. IX*, 31. 34. Marrac. 32. 35.) adpellantur iudæorum doctores, quodque GIELALODDINUS interpretatur علماء i. e. חכמים stilo rabbinorum. Nec est iam quod mireris, a rabbinis חברים (arabice خبيرون diceres,) uocari non tantum *discipulos sapientum*, (quibus quidem uideri queat titulus ille datus ex hebræo uocis חבר significatu; eum fere in modum, quo, SUIDA teste, græcorum philosophi discipulos insigniores suos adpellabant ἑταίρους. Conf. AELIAN. *uar. hist. I*, 6. *III*, 2. *XIV*, 42. & WOLFII *cur. philol. ad Matth. XXVI*, 50.) sed ipsos etiam *sapientes doctosque uiros* israëlitas; hinc porro *Persarum philosophos atque sacerdotes*, & tandem magis ampliato sensu, *Persas* generatim. Vide BUXTORF. *lexic. talmud. col.* 703. 704. Noui equidem, iam tum uiuo Mohammedo, & multo etiam magis, quando, ipso defuncto, sectatores eius uictricibus armis longe lateque gentes sub iugum mittebant, τῶν كافرين *infidelium* nomine ab iis adpellatos fuisse, quot-

quot alias sequebantur religiones, adeoque & ueteris Persarum sectæ professores, quorum reliquias hodieque (*Khâfros, Khebros,*) *Gauros* adpellare moris est, uoce ex arabico illo corrupta. Sed quum Mohammedo antiquiores sint pandectæ Talmudicorum, certe secundum calculos WOLFII (*T. II. biblioth. hebr. L. IV. c. I.*) ac aliorum, qui curatius in Talmudis ætatem atque origines inquisiuerunt; non ausim dicere, quod Persarum nomen talmudicum חברים ex arabico كافرون aut corrupto *Gaurorum* nomine uenerit. Suspicor itaque potius, quum in Persis olim Magi floruerint plurimum, ac laude singularis sapientiæ claruerint; ad Arabas uicinos perlata eorum fama effectum esse, ut ibidem أكبيرون *sapientes* dicerentur, ante Mohammedi ætatem, inde autem uocabulum hoc, ut alia plurima, transiisse in iudæorum linguam; ita quidem, ut primum Magos Persarum significaret, tandem uero Persas generatim, quod eorum uel religio unica, uel profecto prædominans secta tunc Magismus esset, & a parte potiore denominatio fieri soleat. Firmandæ coniecturæ facit usus uocis synonymæ علماء pro significandis *Magis*, illis etiam, qui malo sensu adpellantur, quales erant οἱ חרטמים Ægyptiorum, *genes. XLI*, 8. 24. *exod. VIII*, 7. 18. quibus in locis uide *arabem Waltonianum*. Nec iudæis incognitum prorsus fuisse istud etiam magorum nomen arabicum, suadet celebris locus *act. XIII*, 6. 8. ubi quum uenissent in Cyprum Paullus & Barnabas, Paphi inueniunt *Barjesum*, hominem iudæum ac pseudoprophetam, quem mox D. Lucas Ἐλύμαν τὸν μάγον uocat, additque οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ: interpretaturus utique non proprium nomen *Barjesu*, quod quidem LVD. DE DIEV *ad h. l.* (nam *ad Matth. II*, 1. ueriora dixerat,) & LAKEMACHERO *P. II. obseruatt. philol. p.* 161. *sqq.* uisum est; sed uani honoris adfectatæque ostentationis titulum, nempe Ἐλύμας quo se homo nefarius iactabat apud Cyprios & proconsulem Romanum, quibus quanto minus nota uox illa fuit, tanto augustius quid forte uisa est sonare; quapropter eius futilitatem D. Lucas ostendere uoluit, subiuncta peregrino

nominis, iudæis quidem hominibus haud plane incogniti, expositione. Redeo ad τὸ خبير cuius uestigia uideri queant exstare in ipso sacro codice, ubi חובר חברים & חברים memorantur. Vide *deut.* XVIII, 11. *Ps.* LVIII, 6. *Jes.* XLVII, 9. Habuerunt utique orientis populi antiquissimi quique *magos* suos, homines inquam arcanarum scientiarum, uanarumque ac superstitiosarum artium studiosos, cum sapientiæ insignis existimatione. Itaque absurdus non fuerit, qui dixerit, esse חובר חברים hominum genus illi uicinum, quod alio nomine (ex ידע *sciuit* petito) uocari ידעונים solet; nec idem tamen. Certe id malim, quam cum celeberr. ALB. SCHVLTENS *commentar. ad Iob.* XVI, 4. phrasin illam ad *cantilenas consarcinatas* referre, uel, quod alii faciunt, de *consociatione cum diabolo* explicare. Fateor tamen lubens, superesse in hebraismo biblico adminicula, unde phrasin illam possis interpretari, alia; qualia dederunt inter alios ST. CLERICVS *quæst. sacr.* p. 311. BOCHARTVS *P. II. hieroz. L. III, c. VI.* IOB. LVDOLFVS *commentar. ad histor. æthiop.* p. 216. & DAV. MILLIVS *dissertatt. selectar.* p. 230. *sqq.*

XIV.

انا ركضت ركض الوحوش غير رزقك ما تحوش ۞

Etiamsi cucurreris cursu ferarum, præter alimentum tuum non colliges. Quia putant, bonorum certam portionem unicuique a deo prædefinitam esse. (a)

(a) Credant hoc Mohammedani, nec ne? id perinde nobis est. Certe si intelligatur sententia hæc sobrie, nihil habet quod offendat. Sic enim conuenit cum dicto apostolico 1. *Tim.* VI, 7. 8. & ridet eos, qui desudant in corradendis opibus sine modo & fine. *Currere cursu ferarum*, est, ita currere, ut uelocitate possis cum feris ipsis certare, innuitque heic phrasis diligentiam & uirium contentionem summam.

وَحْشٌ ما تُحوِّش proprie: *non in retia tua coges.* وَحْشٌ est *fera bestia quacumque*: hinc بَقَر وَحْش *bos ferus* siue siluester. Qua quidem occasione subit memoriam lepidus error magni sane uiri THO. ERPENII. Edebat is ex arabico latine conuersam GE. ELMACINI *historiam saracenicam* cIↃIↃcxxv. ubi *L. II. c. VII.* de Alamino Calipha refertur, ita eum ludo latrunculorum fuisse deditum, ut aliquando cum Cutero, seruo suo, ludens, quum a nonnemine moneretur, Bagdadum uehementer ab hoste urgeri; aegre ferens se interpellari, responderet: *Sine me; iam enim apparuit mihi contra Cuterum TAVRVS SYLVESTRIS MORITVRVS.* Ita uertit uir optimus. Arabs scripserat شاه مات *Schâh mâth.* A Persis migrarunt ad Arabas cum ludo ipso uocabula ista, a THO. HYDE *L. I. de ludis orientalium p.* 83. & 148. *sq.* explicata; quae quid sibi uelint, norunt satis, qui ludum illum callent. Sed ERPENIVS, arabica esse ratus; quum nil rectius succurreret, legit شاة مات atque inde miram uersionem exsculpsit. Nimirum arabice شاة inter alia bouem siue taurum siluestrem denotat; quamquam & alias passim pecudes, in primis ouem; ut in illo nonneminis dicto: أولم ولو بشاة *conuiuium nuptiale facito, etiamsi ex unica oue.*

XV.

إذا رُحْنا إلى ٱلقبور يَطْلَع لنا دَاقُور ۞

Si iuerimus ad sepulchra, orietur nobis rixator. Nota obiter, quod coemiteria in illis regionibus extra urbis muros iaceant, ita ut is, qui eo tendit, solum se futurum credere posset. Sensus uero moralis est, quod ad ultimum usque uitae spiritum competitores & aduersarii nobis occurrant. (*a*) Notandum iterum, coemiteria apud illos in ueneratione esse instar templorum, quia credunt, illuc redire animas; ac summopere animaduertunt

tunt in eos, qui crimen aliquod ibi committunt, quasi locorum sacrorum prophanatores. Porro mulieres diebus præsertim Iouis allata myrrha uiridi, quæ in uase testaceo tumulo adhærente cum aqua ponitur, illuc confluunt, ut defleant mortuos suos ad eorum tumulos.

(a) Vel potius, quod inopinati ac inuiti sæpius litibus implicentur, qui eas maxime fugiunt & abhorrent. راح proprie *uespertino tempore* fecit quid, uel *iuit*. Nimirum in oriente multorum is mos est, in cœmeteria ut eant uespere ad flendos mortuos precesue fundendas. Et uero tunc in sepulcris nenniumqua. ✝ uel pauperculi uiatores diuersantur, uel sunt in insidiis fures atque latrones. Vides, quomodo possint rixæ oriri apud ipsa sepulcra; ubi minime id exspectaras. Ceterum sub themate راح ac eius deriuatis complura deprehendas significata, unde possit phrasis Mosaica רוח היום *gen.* III, 8. illustrari; siue ea *tempus uespertinum* innuatur, siue *dies serenus atque placidus*, seu denique, quod præfero, *uentis impetuosus dies*: ut statim adfuerint lapsis protoplastis terriculamenta duo, antea in paradiso quidem incomperta; tonitru & uehementia ruentium uentorum. In lexicis vox واقسوري non comparet, & nescio quid peregrinitatis spirat.

XVI.

إذا أردتّ صاحبك تُبْقِيهِ

لا تأخذ منه ولا تعطيه ۞

Si uis amicum tuum conseruare, nec accipias ab illo, nec des illi (sc. mutuo.) Et quoad fieri potest ne tractes cum eo negotia.

Elegans rhythmus docet, diuturnas eas maxime amicitias esse, quæ paucissimis officiis onerantur; atque inprimis ex credito & debito sæpe inter amicos simultates nasci.

XVII.

إذا أردت تاخذ بنت سل عن خصايل أمها ۞

Cum uis accipere (i. e. in uxorem ducere) *puellam*, *sciscitare mores* (& indolem) *matris eius*.

Ob arctam, præsertim uirginum, in oriente custodiam difficile procis est earum ingenia nosse. Liberalius paullo uxores atque matres habentur. Harum ergo mores explorare promtum magis est. Et in filias illi censentur deriuari; ut fere in filios uel uitia uel uirtutes patrum transire creduntur.

XVIII.

إذا أسعدك ما أتعبك ۞

Si Deus (*a*) *uult te felicem reddere non te lassabit*; i. e. sine ullo labore felix euades. Dicitur de iis, qui uel per hæreditates uel ex improuiso diuites sunt facti.

(*a*) Consulto nomen istud omissum in arabico, rhythmi caussa, quo gens hæc plurimum delectatur. Qua rem conuenit cum adagio hoc gnome sacra *Ps. CXXVII*, 2. si tamen paruis fas est componere magna.

XVIIII.

إذا شحدت دق أبواب الأكابر ۞

Si mendicas, *pulsa portas magnatum*.

Mo-

Monet, ab iis petendam opem esse, qui iuuare possunt. Est item formula, qua semet excusant mediæ fortunæ homines, quando stipem rogati dare nolunt. In lexicis uerbum شحد frustra quæras. Sub شحذ habent, quod eundem reddere significatum queat. Hebræis שחד est *munera dare*; arabibus شحد *accipere* uel *petere munera*, *mendicare*. Pertinet hoc ad exempla contrariarum significationum; qualia POCOCKIVS in *notis miscellan.* *c. II.* sat multa collegit. Ea lubens equidem admitto in *diuersis* dialectis siue linguis, eadem licet matre oriundis; nec omnino aspernor ἐναντιόσημα in *eadem* etiam lingua, si eius tanta sit, quantam esse nouimus sermonis arabici, in uocum notionibus pariter atque copia luxuries, & æque diffusus per nationes complures & patentissima regionum spatia usus, Ceteroquin parciores, uelim, essent docti uiri in oppositis uocabulorum significatibus tradendis. Et maxime in hebræa lingua; quæ quanto & sanctior & simplicior est, tanto minus fas est, ut eiusmodi fluctuationibus turbetur. Certe mihi uix persuadeo, quod u. c. צעיר alias *paruum* significet, sed *Mich. V*, 1. ac *Ierem. XLVIII*, 4. ponatur pro *magno*: aut quod לקח *Hos. XIV*, 3. & *Ps. LXVIII*, 19. (etiamsi conferas *ephes. IV*, 8.) directe ac simpliciter sit *dare*, quum alias *accipere* notet. A nonnemine urgetur, ut exemplum euidentissimum contrariæ significationis in eadem uoce hebræa, τὸ שבר quod *uendere* pariter ac *emere annonam* ualet, *gen. XLI*, 56. 57. Sed salua res est. Prima τοῦ שבר notio est *frangere*. Hinc annona שֶׁבֶר רְעָבוֹן quod ea *fames frangatur*. Inde nouus significatus recidit in uerbum שבר, ut illud notet *frangere famem* uel aliorum, uendendo annonam; uel suam, emendo eamdem. Quo fere modo, quum prima uerbi לבן notio esset *albescere*, inde dicti sunt *lateres* לבנים *gen. XI*, 3. quod primi lateres illi ex terra siue argilla alba essent facti, Hinc autem nouo significatu propagato לבן est *lateres formare gen. l. c. exod. V*, 7.

XX.

XX.

إِذَا قَالُوا لَكَ ٱثْنَيْنِ رَاسَكَ مَا هُوَ مَعَكَ هُزَّهُ ✱

Si tibi dicant duo: caput tuum non est tecum! concute illud. In rebus etiam indubitatis auscultandum est complurium consilium. (a) Non multum abit ab illo euangelii: *testimonio duorum stat omne uerbum.* Porro nemo nescit, *uerbum* multis in locis apud scriptores sacros pro re sumi; licet euangelistæ adhibeant græcum ῥῆμα, quod uenit ab hebræis, quibus דבר & uerbum & rem significat.

(a) Seu potius: non obloquendum pluribus si prudens sis. Euangelii locus, quem uir perillustris in animo habuit, exstat *Matth. XVIII,* 16. Vitiosum puto قَالُوا ٱثْنَيْنِ pro قَالَا ٱثْنَانِ Porro, *caput tuum non est tecum,* per linguæ idiotismum ualet *Nullum habes caput.* Confer mox *N. XXVII.*

XXI.

إِذَا كَثُرَتِ ٱلْأَيَادِي ٱحْتَرَقَ ٱلطَّعَامُ ✱

Si multiplicentur manus, comburitur cibus. Summa rerum uni soli committenda est, ne, dum multorum consilia expetuntur, res in discrimen adducatur.

Conuenit cum germanico illo *Viele Köche verderben den Brey.*

XXII.

إِذَا كَثُرَتِ ٱلرُّهْبَانُ خَرِبَ ٱلدَّيْرُ ✱

Si

Si multiplicentur monachi, vastatur monasterium. Contenderent quippe omnes de primatu, & reditus monasterii non sufficerent.

Indicat adagium, male in illa uiui societate, ubi ambitioni iuncta res angusta domi est. Ex Corano (*Sur. V*, 91. *IX*, 32. 35. *LVII*, 27. Marracc.) eiusque commentatoribus patet, رهبان esse christianorum monachos. In oriente illi olim lautissima usi fortuna nunc sub Mohammedanis miseram uitam degunt magno satis numero in monasteriis pauperculis. Augetque miseriam eorum ambitio, quum certatim, ut in gradum altiorem emergant, magistratuum Mohammedanorum fauorem captant magnis sumtibus, quibus deinde monasteriorum opes prorsus exhauriuntur.

XXIII.

إذا كان جارك حسودًا غيّر باب دارك ☼

Si fuerit uicinus tuus inuidus, muta portam domus tuae.

Cedendum hominibus inuidis atque rixosis; eorumque commercia uitanda. Sic adagium intelligo. Nec enim ita superstitiosi Arabes sunt, (de plebe stolida non loquor,) ut ad amoliendam inuidiam efficax remedium esse credant, si qua mutatio fiat in porta domus.

XXIV.

إذا كان زوجي راضي تعريص القاضي ☼

Si maritus meus est contentus, lenocinium exerceat (i. e. ualeat) *iudex.*

Sensus, ni fallor, hic est: Dum prober ei, cui placere cupio, aliorum iudicia non curo. Ignotum mihi uocabulum تعريص sine punctis uocalibus reliqui. Recurrit illud

حسن تعريض

mox N. XXVI. Itaque suspectum dicere non ausim. An ergo idioticum est dialecto Damascenæ proprium; aut ex plebis sermone? In uocibus راضي atque قاضي potuisset τὸ ي omitti.

XXV.

اذا كان صاحبك عسلا لا تلحسه كله ☼

Si fuerit amicus tuus mel, ne lingas eum totum. Voce *mellis* uti solent orientales ad significandum uirum iucundis moribus & amicitia dignum, quem Galli dicunt *reuenant*.

Moderate utendum amico bono ac suaui, ne cito tepescat amicitia feruide nimis cœpta: ut mel, auidius sumtum, nauseam stomacho mouet. Conf. *prov. XXV*, 16. 17. Non absimilem in modum Argyrippus summum amorem suum Philenio testaturus, O! inquit, *melle dulci dulcior tu mihi es*; apud PLAVTVM *Asinar. III*, 3, 24. Addo istud THEOCRITI ex *idyll. VIII*, 33.

Κρέσσον μελπομένω τευ ἀκούεμεν ἢ μέλι λείχειν.

XXVI.

اذا كان القاضي راضي تعريص الصبيان ☼

Si iudex (uel dux) *fuerit contentus, lenocinium exerceant* (i. e. ualeant) *famuli* eius.

Si gratia ualeas apud uiros principes, non esse quod timeas uel cures odia & inuidiam plebis. صبيان (ut hebr. נערים græce παῖδες) heic *ministri, famuli*; alias proprie *pueri*: ut in memorabili dicto prophetæ nescio cuius quod ex DAMIRE Arabe BOCHARTVS *hieroz. P. I. L. I. c. II. p.* 10. profert: *Descendet Iesus Mariæ filius in terram, & stillabit caput eius, quamuis nulla adspersione perfusum, & franget crucem, & occidet porcum, & effundet opes, & se*

securitas in terram incidet; ita ut leo cum camelo pascatur, & pardus cum boue, & lupus cum ouibus, وتلعب الصبيان *& ludant infantes* siue pueri *cum serpentibus, nec sibi mutuo noceant.*

XXVII.

إِذَا كَانَ مُعَكَ أَلْفُ كُلْ نُجَاجٌ (a) وَإِذَا

كَانَ عَلَيْكَ أَلْفُ كُلْ نُجَاجٌ (a) ✡

Si fuerint tecum mille (nummi, i. e. si eos habes,) *ede gallinas; & si debes mille* nummos, *ede gallinas.* Id est, propter debita non debemus frugalius uiuere.

(a) نُجَاجًا scribendum: cuius forma singularis est نجاجة non نجاجد ut perperam scribitur, haud dubie operarum uitio, in SCALIGERI *notis ad MANILIUM p. m.* 434. ubi docet, in asterismis cygnum apud Arabas *gallinam* uocari; quam in rem uide THO. HYDE, *ad VLVGH BEIGHI tabulas stellar. fixar. p.* 19. Ceterum elegans heic usus phrasium كان عليك & كان معك quod eodem sensu diceres hebraice יש אתך (uel יש בידך) & יש עליך. Sic item in *epistolis arabicis* superiore anno editis a clarissimo uiro, M. CHR. SCHNABELIO nostro, p. 6. *Si dixeris,* ما معك حاضر دراهم *non habere te nummos præsentes.* Porro post uocem ألف ellipsis, qualis hebraice post numerale nomen passim, præsertim sequente כֶּסֶף uel זָהָב.

XXVIII.

إِذَا كُنْتَ غَشِيمْ إِنْفَعْ نُصَّ ٱلْغَيْبَةْ ✡

Si fueris ignarus, (quanti constent merces,) *offer dimidium pretii.*

Nonnullorum heic uocabulorum multo alius, quam qui traditur in lexicis, significatus. Porro قيمة *ualor, pretium, aestimatio* rei (uide CASTELL.) uenit a uerbo قام quod, inter alia complura, notat in prima quidem coniugatione *tanti CONSTITIT res*; in secunda uero, *pretium posuit rei uenali* uenditor seu *mercem suam* tanti *aestimauit*: unde facilis transitus ad *uendendi* notionem. Hinc illustratur hebraismus *gen. XXIII*, 17. 20. ויקם *Venditus fuit*, posito pretio CCCC. siclorum, ager Ephronis Abrahamo לעיני בני חת *praesentibus* atque consentientibus *filiis Cheth*; quod perinde iam erat, ac מאת בני חת *a filiis Cheth.*

XXIX.

إذا ما قدرت على عدوك بيتة بليلة مشومة ✱

Si nihil uales contra inimicum tuum, fac ut transigat infaustam noctem. Nuntiando scilicet malum nuntium aut alio quocunque modo quietem eius turbando, cum aliam uindictam sumere non poteris.

Suppleatur in lexicis transitiua significatio uerbi بات in II. coniugatione. مشوم Proprie *niger, ater.* Sed metaphora illa in aliis etiam linguis notior, quam ut egeat illustratione. Ceterum prodit sententia indolem Arabum uindictae cupidissimorum. Vide inferius N. CXII.

XXX.

إذا وقع الغدر على البصر ✱

Cum

Cum accidit fatum, (i. e. decretum Dei,) *coecatis intelligentia.* Excuſantur qui in aduerſis nullum conſilium uel remedium adferre poſſunt.

XXXI.

الأصيل يتجوّن ✡

Nobili loco natus & ingenuus reſipiſcet. i. e. Si talis deerrauerit a recti tramite, ſpes tamen eſt, ipſum ob innatam ſibi uirtutem ad meliorem frugem ſe aliquando recepturum. Etiam adulandi formula; ut obtineant, quod iam ipſis denegatum eſt. (*a*)

(*a*) Conuenientius hoc uſitatæ uerbi جاد ſignificationi. Proprie *liberalis eſt* uel *erit*. Unde جيّد ſupra, *N. II.*

XXXII.

كُلّ مَا يُرضي خاطرك والبس مَا يُعجب النّاس ✡

Ede quod placet amico tuo; at indue quod placet hominibus.

Obſcurus adagii ſenſus uidetur. Indicat, ni fallor, dum priuatim uiuis inter amicos & æquales, poſſe te in illorum gratiam familiariter agere. Sed quum in publico uerſaris, ſtudendum elegantiæ ac honeſtati eſſe. خاطر heic *amicus*, nouo ſignificatu; ſed eo forte ex خطير 5. deriuato, quatenus uox iſta innuit *hominem æqualis conditionis, dignitatis* & exiſtimationis. Quamquam & *uirum* ma-

magnum atque principem notat. Quod nescio an in animo habuerit *chaldaus*, quum *Iesai. XI, I.* hebræum חטר interpretatus est מלכא *regem*. Existimem potius, eum חטר (ut passim alias שבט atque מטה) de *regio sceptro* intellexisse, atque hinc porro, per metonymiam adiuncti pro subiecto, *regem* dedisse.

XXXIII.

كُلْ مَعَ ٱلْفَارِ وَلَا تَأْكُلْ مَعَ طَوِيلِ ٱلْأَظْفَارِ

Ede cum muribus, nec edas (*a*) *cum homine longorum unguium*. Notandum, quod orientales furcas inter edendum non adhibeant; immo Arabes, præsertim desertorum incolæ, cochlearium usum omnino respuunt. Maximo itaque horrori habent ungues longiores alere. Nam omnes in discum manus immittere solent. Quem morem etiam colligere licet ex ipsis Christi uerbis *Matth. XXVI*, 23. ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδώσει.

(*a*) I. e. *potius quam cum* homine &c. Adparet, prouerbium esse, quo sordidos homines detestantur. In أظفار hebræum צפרן facile recognoscas. Forte habet etiam τὸ فار unde illustrari hebraismus queat. In nomine isto Elif ordinarie mouetur, interdum quiescit. Fuerit hebræa forma פאר & feminine פארה, nulla tamen admodum ratione habita sexus physici, quum satis constet, animalium plurima nomina in aliis etiam linguis ἐπίκοινα esse sub utrauis forma. Porro ut pro שאלה per syncopen dicitur שלה 1. *Sam.* I, 17. sic item pro פארה dici פרה potuit: cuius forma pluralis exstare uidetur apud *Iesaiam c. II*, 20. in phrasi לחפר פרות. Ubi quidem ex accen-

centuatione manifestum fit, duas esse uoces distinctas, adeoque non apte satis quadrare, quae exempla ὁ πάνυ BOCHARTVS *hieroz. P. I. L. III. c. XXXV. p.* 1031. 1032. congessit, ut euinceret, unam esse uocem, ex uerbo חפר deriuatam, per geminationem secundae ac tertiae radicalis, ad intendendam significationem. Ceterum concedere quidem possim uiro magno & communi doctorum sententiae, per חפר פרות *talpas* indicari; quum eas in murium generibus ueteres censuisse constet. Et uideri queant illae indigitatae per τό חפר uoci פרות praemissum; quod uerbum notat *fodere*. Sic לחפר פרות pleno sensu sonaret: *ad mures fodientes*, i. e. talpas; nam qui uulgato sensu dicuntur *mures*, *rodunt* magis quam *fodiunt*. Malim tamen uertere: *in effossionem* i. e. foramen *murium*. Ut enim שְׁאֹל quum pro *sepulcro* ac *inferorum sedibus* ponitur, manifesto localem significationem habet; sic ea item in τῷ חֲפֹר potest obtinere. Certe utriusque uocis forma eadem est. Parum autem refert, *rodendo*, an *fodiendo*, facta foramina intelligas: nec enim adeo multum distant illorum uerborum notiones. Loquitur propheta de iudaeis *aurea & argentea idola sua proiecturis* לחפר פרות ולעטלפים quo tempore in eos irrueret iudicium diuinum per Babylonios exsequendum; & *Vs.* 21. memorat summam, quae tunc iudaeis iniicienda erat a Deo, *consternationem* animorum. Eam ergo dicit in caussa futuram, cur iudaei *proiecturi* sint, i. e. *reconditurì quam festinantissime* (ut fieri solet in magnis terroribus & imminente hoste,) idola sua *in foraminibus murium & apud uespertiliones*, qui antra interdiu & loca obscura quaerunt. Sic item iudaei quaererent loca, quae putarent occulta hostibus fore; ut ibi aurea & argentea idola sua seruare possent, dum ipsi salutis caussa diffugerent in cauernas petrarum. Ulterius prouerbialem loquutionem diuini uatis extendere nolim. Nam, quod multis interpretibus placuit, illuc idola proiectum iri ex contemtu & ignominia; ut quae tunc essent iudicanda indigna hominum cultu & cura, & in quibus faciendum sit periculum, num cui usui esse queant talpis atque uespertilionibus? id mihi quidem, in isto certe contextu, nimium uidetur. Credo potius, quum *aurea* & *argentea* essent idola, eo magis con-

filio, quantumuis frustraneo, illa iudæos absconditurosprædici, ut rapaces babyloniorum manus possent euadere, ac deinde; post abitum hostium, repeti a pristinis possessoribus suis.

XXXIV.

أَللّٰهُ يَتَّهِمُ كُلَّ مُتَّهُوم ۞

Deus suspectum habeat unumquemque suspiciosum. Utpote cordium est conscius ac solus nouit uere sontes & insontes.

Formula est, qua detestantur homines suspicaces. متهوم in lexicis omissum. Ibidem أتّهم uertitur *FALSO suspectum habuit*; quod minus aptum.

XXXV.

أَللّٰهُ خَلَقَ ٱلطِّبَّ وَٱلدَّوَاءَ ۞

Deus creauit medicum & remedium. Persuadent hoc modo ægrotis, uocandum esse medicum.

Male uersum puto. Malim: *Deus creauit remedium*, æque *ac morbum*. Certe non طب *medicus* solet dici, sed طَبِيب; & دواء, si sit ex radice داء, *morbum* potius significabit, quam *remedium* morbi. Potest tamen deriuari ex دوي atque ita medelam notare. Sed tum pro ألطب legerem ٱلشَّطْب ذا quam phrasin, obseruatam GIGGEIO & prorsus Arabicam, GOLIVS atque CASTELLVS omiserunt. Perinde ualet ac si diceres hebraice בעל מַרְפֵּא uel בַּעַל רִפְאוּת uel בַּעַל רְפוּאָה, i. e. *medicus*.

XXXVI.

XXXVI.

أَللهُ يُخَيِّبُ ٱلشَّعْرَ ٱلَّذِي يَطْلَعُ فِي ذُقُونِ ٱلرِّجَالِ ۞

Deus confundat pilos, qui erumpunt in mentis hominum, tui uel illius similium. Imprecandi formula aduersus eos, qui aliquod uiro indignum perpetrant, uel qui aliquod uirili uirtute dignum aggredi recusant. Notandum uero, quod barba maximo in honore & ueneratione (*a*) apud orientales habeatur, &, qui eam non alunt, dissolutiores nulliusque uel fidei uel auctoritatis habeantur. Qui uero ab ea abhorrent, cinædi putantur.

(*a*) Hinc illam legatorum Dauidis ignominiam a *Sam. X*, 4. *sqq.* intellige.

XXXVII.

أَللهُ يُذِلُّ ٱلزَّمَانَ ٱلَّذِي أَعَانَنَا إِلَيْكَ ۞

Deus humiliet fortunam, quæ fecit ut ope tua indigeamus! Imprecatio contra denegantem officium.

Verbi عان alia heic, quam quæ in lexicis traditur, ratio constructionis. Ceterum conf. N. XLVI.

XXXVIII.

أَللّٰهُمَّ أَشْغِلِ ٱلظَّالِمِينَ بِٱلظَّالِمِينَ وَأَخْرِجْنَا مِنْ بَيْنِهِمْ سَالِمِينَ ۞

D — *O Deus*

O Deus! fac distineri (occupari) *tyrannos per tyrannos; Et eripe nos e medio ipsorum saluos!* Votum in flagrante bello, uel alio magno malo imminente.

Pro شالبين haud dubie legendum سالبين. Certe altera illa uocis formá mihi prorsus incomperta.

XXXIX.

الله فيه الكفاية وحده ۞

Deus, in ipso solo (a) *est sufficientia.* Consolandi formula.

(a) Arabismus; pro: *in Deo solo* est sufficientia. Confer mox similem sententiam *N. XLI.* Nam, qua rem, utrimque sensus idem est: Nullam grauem adeo esse miseriam, quin Deus omnipotens ex ea te seruare possit. Obiter noto, diuinum nomen שדי me quidem iudice ex notione τοῦ די, quod *sufficientiam* significat, explicari rectissime: id quod plus uno modo fieri potest, prout τὸ ש uel radicale censueris uel seruile. Conf. IO. SIMONIS *arcan. formar. p.* 671 & quos ille laudauit.

XL.

الله كريم ۞

Deus est liberalis. Consolandi formula.

Item quando quis diuina in se beneficia gratus agnoscit.

XLI.

الله كافي من توكل عليه ۞

Deus sufficiens est ei qui confidit in ipsum.

Ea

Eadem uerbi كفي constructio in Corano, *Sur. II*, 131 (Marracc. 138.) فَسَيَكْفِيكَهُمُ اللَّهُ *sufficit tibi contra illos Deus.*

XLII.

اللَّهُ لَا يُبْلِي أَحَدًا بَلْوَتَهُ ۞

Ne adfligat Deus quemquam adflictione eius.

Sic miserantur hominem, qui pessimis fatis uexatur, & precantur Deum, ut auertere ab aliis mala similia uelit.

XLIII.

اللَّهُ لَا يُحَلِّي الدُّنْيَا فِي عَيْنِ أَحَدٍ ۞

Ne reddat Deus hanc uitam (res huius mundi, siue diuitias,) *iucundam in oculo cuiusquam.* Votum contra auaritiam.

حلي proprie *ornauit*, e. g. monilibus alioue mundo muliebri. Unde nomen حَلْيٌ quod, FIRAVZABADIO dicente apud POCOCKIVM *ad carmen. TOGRAI p.* 8., notat monile seu ornamentum quodcumque ex metallis conflatum uel ex lapidibus pretiosis confectum. Idem quod apud hebræos חלי *prov. XXV*, 12. *cantic. VII*, 2. & חליה *Hos. II*, 15. Vide pluribus ALB. SCHVLTENS *L. I. Originum hebr. p.* 279. *sqq.*

XLIV.

اللَّهُ لَا يُرِي صَدِيقًا مَا أَرَاهُ ۞

Ne probet Deus amicum, ut probauit hunc hominem. Formula deplorandi uicem alicuius.

Ultimas uoces sine uocalibus reliqui, & mendosas existimo, Lego مِثْلَ مَا أَرَاهُ Ad litteram: *Ne uidere faciat Deus amicum* (possis etiam صديقا Danice uertere *ingen ærlig Mand*) *simile quid eius quod uidere fecit hunc* hominem. Subnotauit in schedis suis uir perillustris: „Locus ille *Ps.* „*CXII*, 8. *Non commouebitur, donec uideat super inimicos* „*eius*, (VATABLVS suppleuit: *quod optat*;) facile hinc in„telligi potest.“

XLV.

أَللّٰهُ لَا يُضَيِّقُهَا فِي وَجْهِ أَحَدٍ ❁

Ne Deus angustam reddat eam (i. e. hanc uitam) (a) *in conspectu alicuius*. Formula qua desperati hominis uicem dolent, & simul Deum deprecantur, ne sinat quemquam eo miseriæ & calamitatis deuenire, ut omnibus ad sustentandam uitam necessariis mediis se destitutum sentiat.

(a) Itaque sufixum ها ualeret pro subintellecto nomine الدنيا quod Arabibus femininum est. Possit uero illud etiam exponi neutraliter, (*Gud giöre det ikke snevert for nogen!*) perinde ac femininum uerbi, *Iob*. *IX*, 27. ضَاقَتْ عَلَيَّ *angustum est super me*, i. e. angor.

XLVI.

أَللّٰهُ لَا يُعِيذُ أَحَدًا إِلَى أَحَدٍ ❁

Faxit Deus ut ne alter alterius ope indigeat! Conquerendi formula, cum quis repulsam patitur.

Proprie يعيذ *confugere faciat*, nempe ad impetrandam opem. Conf. superius N. XXXVII. Possis tamen ibi legere أعازنا & heic item يعوز quod directe sonaret *indigere faciat*.

No-

Norunt, qui codices manuscriptos arabicos uersarunt, in multis eorum τὸ ز & τὸ ن eadem fere pingi figura, & proinde non admodum facile discerni. Idem fit in eo codice, quem nunc publicæ luci damus.

XLVII.

اَللّٰهُ لا يُقَدِّرْ ۞

Ne prædestinet illud *Deus*! Votum pro malo auertendo.

XLVIII.

اَللّٰهُ لَطِيفٌ مُجِيبٌ ۞

Deus mitis & exaudiens. Ex Corano. Consolandi formula.

مجيب proprie *respondens*. Conuenit ergo cum ענה hebræo.

XLIX.

أُمُّ ٱلْمَقْتُولِ تَنَامُ وَأُمُّ ٱلْمُهَدَّدِ لا تَنَامُ ۞

Mater occisi dormit, sed mater eius, qui minis petitur, non dormit.

Magis angimur metu imminentium malorum, quam præteritorum dolore. *Matris* heic mentio elegans æque ac in illo Romanorum prouerbio: *Mater timidi flere non solet*, apud NEPOTEM *in uitâ Thrasybuli*. Ex significationibus uerbi هدّ eiusque deriuatorum illustrari potest hebræa uox הידד, quatenus ea pro celeusmate hostis, impetum facientis, ponitur.

 L.

L.

آمِنْ إِلَي حَيَّةٍ وَلَا تَأْمَنْ إِلَي إِمْرَأَةٍ ✿

Crede serpenti, nec credas (a) mulieri.

(a) I. e. *potius quam mulieri.* Conf. N. XXXIII. Nota heic, quod lexica omittunt, أمن cum الي constructum perinde ac cum ل *Sur. II*, 52. 70. & sæpe alias. Ceterum patet, prouerbio isto summam mulierum astutiam indicari. Pro تامن fere malim تُومِنْ. Possit etiam, mutatis uocalibus, legi أَمْنٌ & تَأْمَنٌ atque uerti: *Securitas est apud serpentem, sed non est securitas apud mulierem.*

LI.

إِنَّا لِلَّهِ وَإِنَّا إِلَيْهِ رَاجِعُونَ ✿

Certe Dei sumus, & ad ipsum reuersuri sumus. Sententia ex Corano.

E. g. *Sur. II*, 151. unde simul patebit, quando sit formulæ huius usus. Recte subnotat GE. SALE, interpres anglicanus, *p.* 18. *An expression frequently in the mouths of the Mohammedans, when under any great affliction, or in any imminent danger.*

LII.

أَنَا أُطْعِمُهَا وَأُسْقِيهَا وَيَنِيكُهَا غَيْرِي

يَا سُعَانَةَ كُسِّهَا يَا تُعَاسَةَ أَيْرِي ✿

Modestiæ caussa omitto uersionem rhythmi, nostris quidem auribus parum uerecundi; quamuis non item Arabas hæc ta-
li

lia offendant. Illo uel sortem suam miserantur, uel ridentur salse, qui opes suas stolide impendunt in eiusmodi res, quibus interim alii fruuntur.

LIII.

أنا أمير وأنت أمير من يسوق الحمير *

Si *ego princeps & tu princeps, quis aget asinos?*

Male res geritur, ubi omnes imperant, nemo paret.

LIV.

إن بزقت إلي فوق عليك وإن
بزقت إلي تحت عليك *

Si spueris sursum, contra te spuis, (reus eris;) *& si spueris deorsum, contra te* spuis. (reus eris.) Dicitur in morosos homines, qui omnia improbant, & actiones bonas cum malis confundunt.

LV.

إن بزقت إلي فوق يقع على وجهك
وإن بزقت إلي تحت يقع على ذقنك *

Si spueris sursum, super uultum tuum cadet sputum, *Et si spueris deorsum, super barbam tuam*, Idem cum antecedente.

LVI.

LVI.

إِنْ أَرَدْتَ تَهْتِكَ ٱمْرَأَةً أَقْلِتْ عَلَيْهَا صَبِيًّا وَإِنْ أَرَدْتَ تَهْتِكَ رَجُلًا أَقْلِتْ عَلَيْهِ ٱمْرَأَةً *

Si uis infamare feminam, fac irruat in eam puer (ſcholaſticus;) *ſi uero uis diffamare uirum, fac irruat in eum femina.* Utpote mulieres & adoleſcentes in obiurgando nullum exiſtimantur ſeruare modum.

Suppleatur in lexicis illa, quæ heic eſt, ſignificatio tranſitiua τοῦ فلت in quarta coniugatione. Videant, quibus uacat & lubet, num ex uerbo hoc illuſtrari poſſit nomen militum Dauidis eorum qui פְּלֵתִי adpellantur. Neſcio cur صبي ἀποτόμως de puero *ſcholaſtico* uſi perilluſtris interpretetur. Denique uſitatior foret ſyntaxis أَرَدْتَ أَنْ تَهْتِكَ

LVII.

أَلنَّاسُ بِٱلنَّاسِ وَٱلْكُلُّ بِٱللّٰهِ *

Homines per homines, & omnia per Deum ſubſiſtunt. Ineundam eſſe ſocietatem cum hominibus.

LVIII.

أَلنَّاسُ بِٱلنَّاسِ وَٱلْقِطَّةُ بِٱلنِّفَاسِ *

Homines cum hominibus loquuntur, *felis uero in partu* occupatur. Dicitur, quando homines alicuius auctoritatis & ponderis de rebus maximi mo-

momenti agunt, dum infantes & homines leuiores circa res futiles occupantur.

LIX.

تُسْتَأْنِي مَنْ لَا يَسْتَأْنِيكَ ✡

Exspectas eum qui non exspectat te. Dicitur, quum quis aliquem exspectat, de cuius aduentu minime certus esse potest.

Item quum quis nimium fidit casui futuro incertæ fortunæ. Rectius, puto, scriberetur تستاني & يستانيك.

LX.

أَهْلَكَ وَلَا تُهْلَكْ ✡

Parentes tui, & ne pereas. i. e. Difficile est, hominem perire, cui multi sunt parentes. Vel: imminente periculo potius ad parentes confugiendum, quam pereundum.

Quos heic & in sequente adagio *parentes* adpellauit uir perillustris, intelligendi sunt *adfines & consanguinei*, seu, ut in CAMVSO explicatur, ذوو القربى *propinqui.* Cum هلك confer הלך hebræum, quod *Iob. XIV*, 20, pereundi significatu adhibitum uidetur, ut apud græcos οἴχεσθαι, de quo uide HENR. STEPHANI *thesaurum.* Ita XENOPHON *Cyropæd. III, I, p.* 174. *edit.* HVTCHINSON. αἱ δὲ γυναῖκες ἀναβοήσασαι ἐδρύπτοντο ὡς οἰχομένου τοῦ πατρὸς καὶ ἀπολωλότων πάντων σφῶν ἤδη. Ceterum ad rhythmi elegantiam accommodata est arabicæ sententiæ structura.

LXI.

أهلك لا تقربهم يلسعك عقربهم
إن كان ما تصدقني يا صاحبي جربهم ۞

Parentes tui, ne accedas ad eos, (a) *mordebit te scorpio eorum. Si mihi non credas, o amice mi, experire eos.* Sæpe a parentibus maiora damna patimur, quam ab exteris. Proprie non est prouerbium.

(a) Arabismus est, pro: *ne accedas ad consanguineos & propinquos tuos* κ. τ. λ. Non dissimilis constructionis exemplum fuit N. XXXIX.

LXII.

أهل الخير بخير وأهل الويل بويل ۞

Possessores boni sunt in bono, & possessores infortunii sunt in infortunio. Dicitur, quum uident, diuites opibus & honoribus in dies affluere, miserorum uero mala quotidie augeri.

LXIII.

أيش رايح يصير في الدنيا ۞

Quid futurum est in mundo? Formula, qua dissipant metum ex imminente periculo conceptum.

In uersione uox رايح prætermissa est. Quid راح sit, dixi ad N. XV. Existimem itaque, idem sententia ista dici, quod prouerbio romanorum illo *Nescis quid uesper serus uehat;* seu P. ÆMILII COS. uerbis *Quid uesper ferat, incertum est.* Vide LIVIVM *XLV*, 8.

LXIV.

LXIV.

أيش تعمل الماشطة في الوجه الكشح ✲

Quid faciet pectinatrix in uultu deformi? Inutilia esse ornamenta & fucum rebus ex natura sua malis.

Pro الكشح legerim الكشح uel الكاشح iubente analogia grammatica: quamuis in lexicis sub كشح nihil admodum sit, quod heic aptum uideatur. ماشطة est quam מגדלית iudæi appellant, tum alibi, tum & in libro infami *TOLEDOTH IESCHVA* utroque, *Wagenseiliano* quidem *p.* 3. at *Huldriciano p.* 4., ubi titulum hunc tribuunt b. Virgini θεοτόκῳ; ita uero, ut ex ipsa statim diuersitate narrationis impium mendacium elucescat. Cui ceteroquin occasio quæsita uidetur ex cognomento Mariæ alterius, quæ *Magdalena* fuit dicta: quod nomen, constat, nonnullos etiam christianorum adpellatiue interpretatos esse, ut *pectinatricem* siue capillorum concinnatricem sonaret.

LXV.

أيش ما صار يصير ✲

Quodcumque factum fuerit, fiat. Dicitur, cum quis rem aggredi uult nulla adhibita deliberatione, nulloque ad ullum obstaculum habito respectu.

LXVI.

أيش بود الأعمى قفة عيون ✲

Quid in uotis habet cæcus? Cophinum oculorum. Indicant hoc prouerbio magnum desiderium rei necessariæ.

Nescio quid rei sit quod heic *cophinus oculorum* ubeatur; idque cupio edoceri, ac item cui usui ille cœco esse possit? Interim subnoto, posse arabica uerba in unam compingi sententiam: *CVR in notis cæci est cophinus oculorum*? Atque tum surgeret forte sensus multo alius, ac perstringerentur dicto isto ii, qui rebus inhiant nulli usui futuris.

LXVII.

أَيْنَ تَهْرُبُ ٱلشَّمْسُ مِنَ ٱلْقَصَّارِينَ ۞

Quo fugiet sol a fullonibus? qui scilicet loca aprica semper quærunt. Dicitur in illos, qui eos semper insequuntur, a quibus utilitatem aliquam exspectant.

BE.

LXVIII.

أَلْبِئْرُ ٱلَّذِي تَشْرَبُ مِنْهُ لَا تَرْمِي

فِيهِ حَجَرًا ۞

Puteus ex quo bibis, ne proiicias in eum lapidem. Grato animo esse iubent.

Qua constructionem, confer N. LXI. & mox N. LXX. In lexicis بِئْر femininum est.

LXIX.

بَخْتٌ أَسْوَدُ ۞

Sors (fortuna) *nigra*, i. e. aduersa.

Confer *N. XXIX.* ubi similem in modum dicitur *nox nigra.*

LXX.

LXX.

اَلْبُخْشُ الَّذِي يَجِيئُكَ مِنْهُ الرِّيحُ
اِشْلَحْ ثِيَابَكَ وَسُدَّهُ

Foramen ex quo tibi uenit (ad te intrat) *uentus ; exue uestes tuas & obstrue illud.* Sensus est, nulli rei parcendum esse, qua noxium inimici consilium anteuertamus.

Ignotum lexicis بُخْش *foramen.* Ex uerbo شدّ illustrari potest hebræum סַד *compes, cippus,* Iob. XIII, 27. XXXIII, 11. sed commodius forte ex شدّ *constrinxit, ligauit;* unde porro *stabiliendi, firmandi, corroborandi* significatio fluxit: perinde ut a קשר *ligauit,* nomen habent *gen. XXX,* 41. 42. oues מקשרות siue קשורים i. e. *robustiores.* Vide BOCHARTVM *hieroz. P. I. L. II. c. XLVI, p.* 514.

LXXI.

اَلْبَخِيلُ يُطْعِمُ مِنْ بُخْلِهِ
أَلَا الْبَطْنَانِيُّ مَا يُطْعِمُ مِنْ بَطْنِهِ

Auarus cibat ex auaritia sua, at gulosus non cibat ex uentre suo, i. e. gula sua. Præstat quodammodo, esse auarum quam helluonem; quia auarus conseruat, helluo uero omnia dissipat.

بطناني in lexicis desideratur, nec tamen suspectum uocabulum debet haberi. Sunt enim eius formæ multa, u. c. رُوحَانِيّ *bonus & gratus* ob liberiorem auram locus, نصراني *christianus.*

LXXII.

LXXII.

اَلْبَرْدُ أَسَاسُ كُلِّ عِلَّةٍ *

Frigus est fundamentum omnis morbi.

Sensus esse uidetur, quod saepe a paruis initiis mala maxima oriantur. Itaque principiis obstandum.

LXXIII.

بِطِّيخَتَيْنِ فِي أَيْدٍ مَا تَنْمَسِكْ *

Duo melones in manu una non tenentur.

In lexicis τὸ أَيْد esse dicitur nomen *plurale* significatu. Et sane ita solet adhiberi. Heic uero res ipsa postulat sensum *singularem*. Non capit una manus melones duos; sed excidet alterutrum aut utraque. Monere uidetur adagium, saepe bona sua perdere qui nimis auidi sint. Ceterum مسك passiue notat in coniugatione septima, in quinta uero actiue. Putem itaque, uel pro تنمسك legendum تَتَمَسَّكَا esse, uel pro بطيختين rescribendum بطيختان ut syntaxis sibi constet, simplici quidem & ordinario modo.

LXXIV.

اَلْبَطَرُ مُزِيلُ النِّعَمِ *

Petulantia fugat gratias, uel beneficia.

LXXV.

اَلْبَطَالَةُ نَذَالَةٌ *

Otium (ἀνεργία) *est uilitas.*

Turpe

Turpe est otiosum esse. Rescripsi نــذالــة pro نذالــة quamuis haud ignorem, sæpius pro ل poni ن ut, quando بــكر pro نــكر dicitur. Quod si MARRACCIVS recogitasset, forte non reposuisset مــذكــر pro مــدكــر *Sur. LIV*, 15. 17. 22. contra auctoritatem codicum illorum, quos HINCKELMANNVS erat sequutus, consentientibus item quinque meis, & aliis quotquot adhuc uidi; nec inuita grammatica. Vid. ERPEN. *p. m.* 41. 42.

LXXVI.

أَلْبَطْنُ ٱلْجَرْبَانُ مَا يَشْبَعُ *

Venter scabie laborans numquam implebitur. Dicitur in helluones & auaros.

Nempe quia utrique insatiabiles sunt. جربان (formæ سَلْطَان) eo, quo heic uenit, significatu in lexicis omissum, est ex جَرِبَ *scabiosus fuit*. Hinc hebræis גָּרָב quid sit, *Leuit.* XXI, 20., intellige.

LXXVII.

أَلْبَطْنُ ٱلْجَائِعُ ٱلْخَاوِي لَا يَسْمَعُ لِكَلَامِ ٱلْحَاوِي *

Venter famelicus ac *uacuus non audit* (attendit ad) *uerba incantatoris.* Conuenit dicto uulgari: ieiunus uenter non audit uerba libenter.

Ab حــيــة *serpens* (N. L.) est حــاوي (usitatius حَــوَّا) proprie *serpentum incantator*, apud interpretem arabem *Sirac. XII*, 13. pro græco ἐπαοιδός.

LXXVIII.

LXXVIII.

اَلْبَطْنُ مُسْخَرَة *

Venter eſt *ludibrium.* Non nimis curandum de cibis, cum uentrem quouis alimentorum genere implere liceat, & ſæpe modico & male condito cibo ipſi fiat ſatis.

LXXIX.

اَلْبُعْدُ جُفَاء *

Longinquitas eſt *durities.* i. e. Paulatim induramur & aſſueſimus abſentiæ amicorum & parentum. Formula, qua amici de paucitate epiſtolarum queruntur.

LXXX.

بَعْدَ أَنْ حَبِلَتْ سَكَّرَتِ اَلْبَاب *

Poſtquam concepiſſet, clauſit ianuam. i. e. Cautiones adhibuit poſt commiſſum crimen, adeoque nimis ſero.

LXXXI.

بَعْدَ عِيدِ بَرْبَارَة تَكْثُرُ عِيُودُ اَلنَّصَارَى *

Poſt feſtum S. Barbaræ multiplicantur feſta chriſtianorum.

Vide ſuperius, N. X.

LXXXII.

LXXXII.

أَلْبُغْضُ بِالْأَهْلِ وَالْحَسَدُ بِالْجِيرَانِ ✻

Odium inter affines & inuidia inter uicinos est.

De اهل uide N. LX. Vox جيران *uicinos* atque item *clientes* notat. Conf. SCHVLTENS *ad Iob.* XVIII, 19. XIX, 15. Sententia hæc innuit, grauissima esse odia, quæ inter fratres atque consanguineos exercentur, & utplurimum inter uicinos male conuenire.

LXXXIII.

أَلْبَقَرَةُ إِذَا وَقَعَتْ تَكْثُرُ عَلَيْهَا ٱلسَّكَاكِينُ ✻

Vacca si cadit, multiplicantur super ea cultri. Quando aliquis de nobiliore statu cadit, ansam præbet multis, eum conuiciandi.

LXXXIV.

بَقَرَةُ ٱلْقَاضِي مَا تَأْتِي (a) ✻

Vacca iudicis non lædit. Famuli magnatum & principum sæpe impune aliis damna inferunt.

(a) Exemplo hoc, & item aliis a CASTELLO adlatis, patet, actiuam significationem uerbi اتى in prima coniugatione, immerito suspectam GOLIO fuisse.

LXXXV.

أَلْبَلَدُ ٱلَّذِي مَا تُعْرَفُ فِيهَا شَيْءٌ وَأَخْرَبُ فِيهَا ✻

Regio in qua non et notus, subleua uestis laciniam & caca in illa. Non habendam esse rationem illorum, quibus sumus ignoti. Dicitur malitiose, propter æquiuocationem uocis فيها quæ potest esse affixum uocis ذقن *mentum, barba*; quæ feminini generis est. Cum autem barba in magno honore sit apud orientales, per quam iurant & adiurant, cauent semper, cum de sordidis rebus sermo est, ne phrasis finiat in hanc uocem فيها ne scilicet de barba alterius explicetur.

Nimirum فيه dicendum fuerat, quum ordinarie البلد masculini generis sit. Reliquorum, quæ heic uir perillustris ex ore præceptoris sui subnotauit, fides sit penes auctorem; Mihi profecto incomperta sunt uestigia istarum argutiarum. Notari autem uerbum خرى potest ob hebræas uoces חראים uel חרים *Ies. XXXVI*, 12. 2 *reg. XVIII*, 27. & מחראות 2 *reg. X*, 27. quæ hinc facile intelliguntur. Sed חריונים 2 *reg. VI*, 25. quid sit, forte necdum satis constat. Ceterum *Regio - in ea* dicitur ἀῤῥαβικῶς pro *in ea regione* Conf. N. XXXIX.

LXXXVI.

بُني ادم ابن يومه ☼

Homo filius diei sua. Dicitur in eos, qui pristinæ conditionis immemores, collatorum in se beneficiorum uel perpessæ miseriæ facile obliuiscuntur.

Prima in adagio isto phrasis proprie *Filiolum Adami* sonat. Conferri potest cum hebræa בן אדם quæ frequens imprimis apud Ezechielem. Ni addidisset uir perillustris interpretationem ex ore præceptoris sui haustam, promtum fuisset, explicare sententiam hanc de fragilitate ac spatio breui

breui humanæ uitæ. Ut *Kikajon* IONÆ *c. IV*, 10., quod cito ſuccreuiſſet, cito item periiſſet, *filius noctis* adpellatur; ſic item miſer mortalis dici poterat *filius diei*, aut *diei ſua filius*, (ἐφήμερος, ut dicunt græci, ſeu ἐπάμερος, quæ PINDARI uox eſt *Pyth. VIII*, ubi uide ſis ERASM. SCHMIDIUM *p.* 312.) quippe cuius quaſi diurna, i. e. exigua, ſit duratio æui.

LXXXVII.

بُنَيُّ آدَمُ ثَقِيلٌ أَثْقَلُ مِنْ حَجَرٍ ۞

Homo grauis, grauior lapide. Indicat, hominem multa ſecum afferre incommoda, & ideo quam maxime debere cauere, ne aliis ſit incommodo. Excuſandi & conquerendi formula, quando quis diu apud alium diuertit.

LXXXVIII.

بُنَيُّ آدَمُ طَيْرٌ بِلَا جَنَاحٍ ۞

Homo eſt *auis absque ala.* Hæc formula adhibetur poſt longum iter emenſum; ut ſignificetur, homines, utut alis deſtitutos, in loca remotiſſima penetrare poſſe.

LXXXIX.

بُنَيُّ آدَمَ يَظَلُّ يَتَعَلَّمُ حَتَّى يَنْزِلَ ٱلْقَبْرَ ۞

Homo non deſinit diſcere, donec deſcendat in *ſepulcrum.*

Per totam uitam ſupereſt quod diſcamus.

XC.

بني آدم في موضعه ثقيل ✲

Homo in loco ſuo; ubì actu degit, *grauis eſt*. i. e. difficillime locum, præſertim natalem, relinquit, etiamſi ibidem opprimatur.

XCI.

بني آدم قلبه دليله ✲

Homo, cor eius director eius eſt. Dicitur, quum euentus aliquis quadrat cum præconcepta opinione; & quum ſequimur animi impetum.

Structura ſententiæ prorſus arabica eſt. Latine: *hominis uia dux cor eſt*. Poſſis etiam بني legere: quod ad *hominem* adtinet, *cor eius director ipſius eſt*. قلب ut hebræis לב pro animo eiusque adfectu & impetu frequentiſſimum eſt.

XCII.

البنت اذا وصلت ايدها الى ثمها
حملت ما حملت امها ✲

Filia, cum peruenit manus eius ad os eius, (cum ope nutricis carere incipit,) *Portat id, quod portauit mater eius*. i. e. Filiæ, utut iuniores, ſunt nubiles.

Quum conſtet, in Arabum uicinorumque populorum calido climate citius multo, quam in frigidioribus regionibus, perfici naturam

turam atque adeo stimulari ad Venerem; possit sententia haec, ut iacet in uersione latina, cum *αὐξήσει* quadam esse dicta. Nec tamen mihi تمّ notum *oris* significatu. Num ad dialecti alicuius idiotismos id referendum? Usitate quidem uox illa *perfectionem* indicare solet, quo nomine heic uirginum aetas matura intelligi possit, atque tum reliqua phrasis *peruenit* (imo potius *peruenerunt*) *manus eius ad* - - - conferri cum hebraica מצאה ידה אל ut sensus sit, *quando* potita seu *nacta est maturitatem suam*. Forte حمل heic significarit portationem cum onere seu taedio coniunctam.

XCIII.

البنت نقمة من الله ✡

Filia est uindicta Dei. Timetur enim semper, ne, infamiam passa uel pulchritudine sua dissidii inter potentes procos caussam praebens, toti familiae uel labem inurat uel negotium facessat. Habent in traditionibus suis, quatuor haec uerba fuisse inscripta diademati Kefrois, Persarum regis, sub hoc titulo: مصايب الدنيا اربع i. e. *casus huius uitae quatuor*, nimirum الدين ولو درهما البنت ولو مريم الغربة ولو ميلا والسؤال ولو كيف الطريق quae alibi explicuimus. (*a*)

(*a*) Apud Arabas praesertim masculos omnibus uotis expetitos semper fuisse ostendit prisca formula *Felix agas, maresque parias, non femellas!* quod domum deductae solebat acclamari. In *consessu XXXIII.* HARIRII prouerbialiter exstat *Auertit se auersatione eius, cui filia nata nuntiantur.* Hac ansa idololatris in Alcorano exprobratur *An uobis masculi, Deo erunt femellae?* Inter numina nempe ueterum Arabum multa sequioris sexus numerantur. ALB. SCHULTENS *ad Iob. III, 3.* Quid iudaei heic sentiant, docet locus

eus, quem ex BERACHOTH *f.* 60, 1. latine conuersum WAGENSEILIVS *in SOTA p.* 70. 71. dedit: *Exstat traditio, tribus prioribus* (post conceptionem) *diebus orandum homini, ne semen putrescat; inde usque ad diem XL. ut euadat masculus; hinc ad tertium usque mensem orandum, ne fiat superfoetatio,* (corrumpaturque forma prioris foetus, & referat piscem marinum planum, quem Sandalium uocant;) *porro a tertio ad sextum usque mensem precandum, ne abortum patiatur coniux; abhinc usque ad mensem nonum uota facienda, ut foetus saluus sanusque* (ex utero) *prodeat.* Disertior etiam est in rem praesertim traditio alia in KIDDVSCHIN f. 82, 2. אשרי מי שבניו זכרים ואוי לו למי שבניו נקיבות *Beatum illum, qui prolem masculam habet; miserum uero eum, qui filias procreauit.*

(a) Nimirum N. CLXIII. Numerat heic Khosroës inter *calamitates* uitae secundo loco, si quis *filiam* habeat, *quantumuis ea sit Maria.* Khosroem istum, qui *Paruiz* fuit cognominatus, certum est non fuisse mohammedanum. Itaque uel ignicola fuit, quae uetus Persarum religio erat, uel, quod uisum nonnullis, christianus, etsi deinde ad sacra patria reuersus. Ignicola si fuit; uix, puto, inaudiuerat quidquam uel de b. Maria uirgine uel de Mirjama Mosis sorore. Sin christianus; non uidetur probabile, ad alterutram earum, ac in primis ad priorem illam, in dicto isto eum respexisse: certe non foret hoc ualde dignum homine christiano. Ergo aliunde natum dicterium existimo. Nimirum Khosroës Paruiz in matrimonium duxerat Mauritii Imp. filiam, (conf. ABVLPHARAGIVS *in histor. dynast. p.* 211, 212.) cui *Mariae* nomen fuit; quod diserte ac plus uice simplice SAID EBNO 'LBATRIK testatur. Vide *annalium T. II. p.* 207. 252. 391. Eam rex amabat perdite, sed ingratam, ut quae *FERHADVM* nescio quem ei anteponeret. Quod Khosroës dolens, uidetur *Maria* huius nomen in sententioso dicto suo posuisse inter aduersos uitae casus. Noui equidem, CANGIO nuptias has ob altum de iis apud graecos silentium suspectas fuisse: *Famil. Byzantin. p.* 108. Mihique adeo ipsi non admodum probabiles illae uidentur. At heic tamen, ubi explicanda sunt Arabum dicta sententiosa; si ad factum aliquod historicum illa adludant, omnino traditionibus orientalium rectius quam byzantinorum scriptorum auctoritate statur. Atqui inter mohammedanos populos,

pulsos, quin & apud historicos plerosque christianos illarum regionum, constans fama est de Mauritii Imp. filia Khosroi Paruizo nupta, quamuis eam alii Mariam, Irenen seu Schirinam alii adpellarint. HERBELOTIVS *biblioth. orient. p. 996. L'Empereur Maurice ayant fort bien reçu ce Prince*, (Khosroëm tunc exulem & regno pulsum a Bahramo, conf. ABVLPHARAGIVS *p. 154. sqq*) *luy donna en mariage sa fille, nommée par quelques uns Marie & par les autres Irene, ce qui paroit plus vraisemblable, parceque c'est de ce nom que les Persans ont formé celuy de SCHIRIN, mot qui signifie DOUX en leur langue, dont ils ont appellé cette même Princesse. Plusieurs d'entr' eux & d'entre les Turcs ont même écrit en vers les amours de l'un & de l'autre, sous le titre de KHOSROU v SCHIRIN, Khosrou & Schirin.* Hinc corrigere liceat SCHICKARDVM in *Tarich regum Persiæ p.* 173. ubi ait, inter Persas etiamnum exstare librum celebrem *de Schariari* (filius is erat Khosroïs Paruizi) & *Scherinæ amoribus*, delicatissimo conscriptum uersu &c., in eamque rem pronocat ad PETRI TEIXEIRAE auctoritatem, cuius *relaciones d'el origen, descendencia y succession de los Reyes de Persia* sæpius ille in partes uocauit uersauitque diligenter. Habe uero ipsa eius uerba ex *L. I. c. XXXVII. p.* 203. edit. Antverp. 1610. ubi quoad reliqua eamdem, quam SCHICKARDVS, historiam de Schariaro & Scherina refert: *De* NB. *OTRA DAMA Xerin* (i. e. *Scherina alia*, ergo non illa Schariari uxore) *y de los grandes extremos que por ellas hizieron dos amantes, uno principe llamado Khozrrao, no este de quien vamos hablando*, (agit autem illo capite de Khosroë Paruizo) *y otro de menos suerte llamado Ferat; hay un libro en Parsio, en verso muy delicado y ingenioso, lleno de marauillosos concettos, intitulado* NB. *KHOZRRAO XERIN, tan estimado de los Parsios, quanto la obra bien lo merescie.* Manifestum est, quod dicat libro isto exponi non de Schariari, sed Khosroïs ac Scherinæ amoribus; etsi Khosroem illum facit diuersum a rege Khosroë Paruizo. Denique obseruo, in regis huius corona multo aliam, eamque argumenti nobilioris, inscriptionem a MVSLAHEDDINO SADI, Persa, in *rosario politico* memorari, quam heic ex GENTII uersione dabo *p.* 119.

Quid multi anni? quid uita longa?
Mortales enim in hoc terrarum orbe uestigiis pedum capita nostra calcabunt.

Perinde ut regnum ex longa regnantium serie ad nos peruenit.
Ita etiam ex nostra manu in aliorum manus transire debet.

XCIV.

ٱلْبَنَاتُ مُسَوِّدَاتُ ٱلْعَمَايِمِ ❀

Filiæ nigrificant cidares, i. e. quum uirginitatem amittunt, patri opprobrium afferunt. *Cidaris* porro est quam galli *Turban* (*a*) appellant, & quam omnes Mahometani candidam gestant, Scherifis exceptis, qui uiridem habent. *Scherifi* autem dicuntur ii, qui originem suam a Mahomede ducere contendunt: quorum quidem illi, qui linea recta masculina descendunt, plane uiridem gestant; qui uero sola materna, unica eaque parua fascia uiridi in cidarim candidam illigata distinguuntur. Maximo autem in honore habentur hi Scherifi; unius enim testimonium pro duplici accipitur: unde hac auctoritate sua multoties abutuntur, quia nullis affici solent suppliciis, apostasiæ casu excepto. Iurisdictionem habent sibi particularem in singulis urbibus, cui præest unus ex illis, qui uocatur نقيب الاشراف *dux Scheriforum*. Et omnes hi præsides unum caput habent, quod Meccæ residet atque الشريف الاكبر *Scherifus* siue nobilis *maximus* uocatur & Mahometis uicarius existimatur. Christiani uero hanc cidarim uarii coloris gestant; laici enim cœruleam, monachi uero omnino nigram gestant. Iudæi autem rubram albo mixtam habent; at eorum doctores pileum quemdam altissimum, qui طنطورة *Tantûra* uocatur.

(*a*) Nec

(*a*) Nec tamen domestico nomine, sed a Turcis Persisque accepto, quibus دلبند ac دولبند *Dulbend* dicitur: etsi utrimque aliis etiam adpellationibus illud capitis tegumentum insignitur. Ceterum in excursu isto sequutus uir perillustris est fidem magistri sui, hominis damasceni. Huic ergo adscribenda, si qua heic non omnino recte dicta. Quale est u. c. istud, quod adserat, reliquos *Mohammedanos OMNES* cidarim *candidam* gestare, at *Scherifos* alios quidem *plane uiridem*, alios *fascia uiridi distinctam*. Utique in Mohammedanis censendi sunt Persæ. De his ADAMVS OLEARIVS, *L. V. c. XII. p. m.* 308. „*Die Männer* „*tragen auf dem Kopfe grosse dicke von Cattun oder seidenen* „*Binden über einander gewundene Bünde*, Mendil *genant:* „*sind gemeiniglich buntstreiffticht gewürket, deren etliche mit* „*güldenen Faden durchgezogen. - Der geistlichen, sonderlich* „*der* Hafis, *ihre Bünde sind insgemein weiss. Etliche lassen* „*an den* Mendilen *hinten einen Zipfel herunter hangen. - Die* „Seid, *das ist die sich von Mahomets geschlecht rühmen und* „*dessen Nachkommen seyn wollen, tragen an solchem Zipfel nur* „*grüne Farbe; sollen sie aber doch tragen, wiewohl es etliche* „*aus Hoffart unterlassen. Etliche Perser, auch grosse Herren,* „*tragen rauhe Mützen, inwendig und auswendig von kraus*„*sen Bucharischen Schaafsfellen überzogen.*„ Alioquin uerum esse puto, quod Turcæ in primis & qui cum illis Omari sectam profitentur, utplurimum cidares candidas gestent: in quibus quanto magis conspicuæ sunt maculæ nigræ, tanto hæ aptiores ad significandum probrum ac honoris detrimentum. In phrasi نقيب الاشراف est aliquid, unde adfundi lux queat dictioni sacræ *numeror. I.*, ubi ad censum populi faciendum Deus Mosi atque Aharoni adiungit XII uiros, qui *Vs.* 16. delegati cœtus, principes tribuum patriarum & capita chiliadum Israëlis adpellantur; ac tum porro *Vs.* 17. pergitur in hunc modum: *adsumsit Moses atque Aharon uiros istos, qui* נקבו בשמות *phylarchæ denominati erant.* Nam نقيب Arabibus significat *ducem, tribunum, phylarcham esse.* Coronidis loco, quum ex hoc & item ex antegresso adagio pateat, quam ingratæ Arabibus filiæ sint; ad rei huius illustrationem ulteriorem subnoto ista Corani uerba *Sur. XVI*, 59. 60. 61. (Marracc. 57. 58. 59.) *Tribuunt Deo filias* (ethnici arabes, qui angelos *filias Dei* adpellare solebant, uid. GE. SALE

 pre-

prolegom. uersionis anglicæ Corani p. 17.) sibi autem id quod desiderant: (nempe filios; ut uice uersa filiæ *Vs.64.* ueniunt nomine illius *rei quam auersatur:) & quum nuntiatur alicui eorum nata filia, euadit facies eius nigra & ipse tristitia plenus; occultat se a populo ob malum nuntium, ac dubius hæret, uelitne illam retinere cum uilipendio,* neque adeo occidere, *an sepelire malit in puluere.* Nimirum sæpe filias suas defodere uiuas solebant; quod وأد البنات *defossio filiarum* dicebatur, cuius item mentio fit in Corano *Sur. LXXXI, 8.9.* Vide POCOCKIVM in *notis ad specimen histor. arab. p. 334. sqq.* ubi docetur, factum id esse interdum paupertatis metu, sæpius formidine opprobrii, & memorantur adagia hæc Arabum: *Præmissio filiarum felicitas est;* & (quod eodem redit) *Sepultura filiarum in beneficiis diuinis censenda.*

XCV.

البهلول يرقص من غير دف

Homo leuis absque tympano saltat. De homine stulto.

Tympani arabici structuram GOLIVS ex eoque CASTELLVS descripsit. In eos prouerbium dicitur, qui temere nec in tempore ac loco aliquid agunt. Quippe ridiculum censetur sine modulis saltare. Quid? quod uniuersim saltatio parum honesta uiroque graui indigna existimatur in oriente. Testem habe CHARDINVM *dans ses Voyages en Perse T. IV. c. XII. p.* 140. 141. edit. Amstelod. 1711. *Les bons Chatirs ou Valets de pied sauent tous bien danser & voltiger, surtout ceux des Grands, & on les fait danser pour se diuertir, car en orient la Danse est deshonnête, ou infame, si vous voulez, & il n' y a que les Femmes publiques qui dansent. Je me souviens là-dessus que durant la minorité du Roi de France il vint un Persan à Paris, que le Roi de Perse auoit envoyé en Europe avec un Marchand François habitué à Ispahan, afin de vendre des soyes, & d'apporter des marchandises curieuses d'Europe. On faisoit tout voir au Persan, qui ne savoit pas un mot d'aucune langue d'Europe. On le mena entr' autres à un ballet où le Roi dansoit; & quand Sa Majesté dansa, on le lui fit remarquer: & après on lui demanda si le Roi ...*

da...

» *danſoit pas bien? Par le nom de Dieu*, repondit-il, *c'eſt un*
» *excellent Chatir*. Ceterum uanus homo ac ſtultus بهلول
uocatur a *multo riſu*: etſi latius patet uocis uſus apud Arabas, ut generatim notet *uirum lata & ſerena ſeu exporrecta fronte*. Exemplum huius ſignificationis ex *DIWAN HUDEIL* protulit ALB. SCHULTENS. *L. I, orig. hebr. c. I, p. 45.*

XCVI.

البهيم من قرونه والرجل من كلامه

Beſtia cornibus tenetur uel adſtringitur, *homo uerbis ſuis* uel fide ſua.

Standum eſt promiſſis. Adagii elegantiam auget, quod بهيمة atque بهيمة (hebraice בהמה) proprie animal dicatur, quatenus uel mutum omnino eſt uel nonniſi ſonos inconditos atque inarticulatos edit: homini autem priuus ac proprius ſit ſermo rationalis.

XCVII.

باب كبير خير ما فيه

Porta magna, bonum non eſt in ea. Attribuitur hoc prouerbium Indis, qui mendicatum eunt in oriente, & repulſam paſſi ad portas diuitum, per plateas hoc dictum decantare ſolent.

Conſtructio arabica eſt, ut N. XXXIX. Pro: *in porta magna non eſt bonum.*

XCVIII.

بنت الشبع من بخلا من العظام

Domus leonis non est uacua ossibus. I. e. apud diuites semper inuenitur quod ad edendum proponatur. Adulationis formula; ei, qui extemplo aliquid profert edendum,

Pro يبخلا scribe ac lege يُخْلُو

IC.

اَلْبَيْعُ وَالشِّرَاءُ بَارَكَ ٱللّٰهُ فِيهِ

Venditio & emtio, benedixit Deus ei utrique. Exhortatio ad mercaturam exercendam.

Latine: *benedicit Deus uenditioni & emtioni.* Possis uero etiam ut uotum interpretari: *benedicat* κ. τ. λ. Sic enim præteritum arabicum adhibetur sæpius; ut in trita formula حَيَّاكَ وَبَيَّاكَ ٱللّٰهُ *regem te faciat & saluum esse iubeat Deus!* i. e. prospera quæuis tibi concedat. De qua, ut & de usu præteriti in comprecationibus, uide sis POCOCKIVM *ad specimen hist. arab. p.* 55. *sqq.*

C.

بَيْنَ ٱلرَّدِي وَٱلْجَيِّدِ فَرْقٌ بَعِيدٌ

Inter prauum & probum uirum *discrimen magnum.* Laudatio uiri probi.

In τῷ الـردي abesse poterat ي

CI.

بَيْنَمَا يَجِي ٱلتِّرْيَاقُ مِنَ ٱلْعِرَاقِ
يَكُونُ ٱلْمَلْسُوعُ قَدْ مَاتَ

In-

Intera dum ueniat theriaca ex Irak (prouincia, i. e. Babylonia), *esset morsus a serpente iam mortuus.* Querimonia de mora remedii in urgente periculo.

Usu conuenit cum nostro *Imedens Grasset groer, döer Koen.* درياق & ترياق ipsissima græca uox θηριακή. De *Irâka*, gemina illa quidem prouincia, quarum altera ab Arabibus denominatur, a Persis altera, omnino dignus est qui legatur ALB. SCHVLTENS in *indice geographico uitæ Saladini subiecto*, ubi ex *ABVLFEDA* curatiorem, quam uulgo fit, Irâkæ utriusque notitiam dat, *GOLIVM* contra *HYDIVM* defendit, docetque, ubi absolute Irâka nominatur, semper arabicam indicari.

TE.

CII.

إِتْبَعِ ٱلْبُومَ يَدُلُّكَ عَلَى ٱلْخَرَابِ ✻

Sequere nycticoracem, ducet te in eremum. Eligendos esse directores qui præ reliquis bene audiunt.

Recte بوم *nycticorax*: غُرَابُ ٱللَّيْلِ *coruus noctis*, interprete *DAMIRE* apud BOCHARTVM *hieroz. P. II, L. II, c. XX, p.* 273. Ex دل erat دليل superius N. XCI.

CIII.

إِتْبَعِ ٱلْكَذَّابَ لِبَابِ ٱلدَّارِ ✻

Sequere mendacem ad ostium domus. Promittenti eo usque credendum est, donec præscriptum tempus adueniat, ante quod mendacii ipsum accusare non poteris. Notandum obiter, quod ideo

ideo dicatur *ad ostium domus*, quia ulterius progredi præter cognatos & adfines nemini concedatur, propter fœminas, quæ detecta facie in domibus obambulant. Quæ tamen cautio apud nobiles non adeo est necessaria, cum apud eos mulieres in remotiori ædium parte degere soleant; qui locus uulgo حريم dicitur, ab حرم *prohibuit*, & mulier (a) dicitur حرمة quasi omnibus præter maritum prohibita.

(a) Uxor uiri.

CIV.

اَلتِّجَارَةُ تِجَارَةٌ وَلَوْ كَانَتْ حِجَارَةً

Mercatura est mercatura, etiamsi esset lapides. (a) Encomium mercaturæ, quæ magno in honore est apud orientales.

(a) Si uel solis lapidibus exerceretur.

CV.

تَاجِرْ بِدِينَارٍ تُسَمَّي بِالْبَلَدِ تَاجِرًا
وَبِأَلْفِ دِينَارٍ نَفْسَكَ قَطُّ لَا تُؤَاجِرْ

Negotiare cum denario uno, *nominaberis per regionem mercator: At mille denariis temet ipsum ne conducas unquam* aliis. Contra seruitutem & mercenarias artes; & encomium mercaturæ.

دينار est denarius aureus, uulgo *en Ducat.* Et *ne conducite*, i. e. ne operam tuam eloces.

CVI

CVI.

تَاجِرٌ وَمُنْدُودٌ مَا يَكُونُ ✡

Mercator & tergiuersans non datur. i. e. Non debet mercator nimia cautione uti.

Verbum نَدّ est hebræum נדד adeoque مندود uidetur dicere hominem *instabilem*, *huc illuc uagantem*, qualem Germani lepide adpellant *Hans in allen Gassen.* Enimuero tales homines parum apti sunt exercendæ feliciter mercaturæ, ut quæ intentum animum requirat. Pro يكون in Msto est ييكون uitiose, ut puto.

THSE.

CVII.

ثَارَتْ عَلَيْهِ الْجِنِّيَّةُ ✡

Efferbuit super eo furor. Dictum de eo qui sine caussa irascitur.

جنية lexicis ignotum, ubi *furor* جُنَّةٌ & جُنُونٌ & جُنُنٌ dicitur, ex uerbo جُنَّ.

GJIM.

CVIII.

اَلْجَبَّارُ مَا خَصْمُهُ اِلَّا اللّٰهُ ✡

Gigas, non est aduersarius eius quisquam *nisi Deus.* Dicitur in tyrannos & diuites superbos.

Ut sciant, non a Deo inulta futura ipsorum crimina, etsi ea homines punire uel nolint uel nequeant aut certe non ausint. Constructio arabica est, pro *Gigantis aduersarius non est quisquam* κ. τ. λ. Ex hebræo גבור factum جبّار cuius forma pluralis *deut. II*, 10. 11. respondet hebræo ענקים in Arabe *Waltoniano; Erpenianus* habet جبابرة eodem sensu. PLINIVS *histor. natur. VII*, 16. *Procerissimum hominum*, inquit, *ætas nostra*, *diuo Claudio principe*, *GABBARAM nomine ex ARABIA aduectum IX. pedum & totidem unciarum uidit.* Quid si ex imperitia sermonis arabici uocem adpellatiuam, quæ *gigantem* notabat, in hominis proprium nomen conuerterint romani?

CIX.

بجيرة وردة تشرب الشوكة ✱

Rosæ gratia rigatur spina. Accidit sæpe, ut plebeii iisdem rebus fruantur, quæ solis principibus & magnatibus præparatæ erant: quin & sæpe propter unum hominem, quem uirtus ad honores euexit, tota familia simul eleuatur.

شوكة *spina* alibi pro *potentia* & opibus ponitur. Vide SCHVLTENS *de defectibus linguæ hebr. p.* 258. *sqq.* Id in lexico GOLIVS prætermisit, nec ignorauit tamen uir ἀραβικώτατος. Nam quod AHMED ARABSIADES *in historia Timuri p.* 17. dixit قويت بذلك شوكته id uir optimus recte interpretatus est *qua quidem re potentia eius inualuit*; in illius libri latina uersione, quam ex ore dictantis Golii scriptam manu *Herperti de Jager* olim Hadr. Relandus habuit, nunc seruo ego, adhuc ineditam, ni fallor, sed quam doctis non inuidebo, si sit qui sumtus suppeditare uelit.

CX.

جارية بجوار خنفسة ببزار ✱

Ancilla cum ancillis, & scarabaeus cum tegumento candido. Dicitur, cum quis supra uires suas & conditionem suam uel famulatum, uel uestitum aliaque ostentat.

Non satis intelligo genium adagii huius. Studio جُسوار scriptum pro جسواري uidetur in rhythmi gratiam.

CXI.

جاعل حالة برمكيا

Constituit statum suum i. e. se *Barmakensem.* Affectat imitari Barmakum, qui erat Vizirus Aaronis Raschidi; homo sui seculi in toto oriente liberalissimus: quae uirtus, tanquam haereditaria, in totam eius familiam ita se diffudit, ut huic prouerbio locum dederit.

De Barmecidis hisce ac eorum tum uirtutibus aliis, tum insignissima liberalitate agit plus uno loco HERBELOTVS, u. c. *p.* 189 332. (tit. *Fadhel ben Iahia*) 388. (tit. *Gjáfar al-Barmeki*) 472. (tit. *Iahia ben Khaled al-Barmeki*, cum quo gentis huius splendor atque gloria coepit, quique, quum ipse ac item eius filii per annos XVII. uni fere ac soli *Harouno al-Raschido* Caliphae in deliciis fuissent, deinde irato Calipha redactus, cum suis ad incitas fuit, manente apud posteros memoria praeclarissimorum meritorum.) Unde ad illustrationem adagii haec lubet adscribere: *Le Rabi al Akbiár cite un quatrain arabique, fait à la louange d'Iahia, dont le sens est: J'ay demandé à la roste* (symbole de la liberalité) *Si elle étoit libre? Elle me repondit, non; car je suis l'esclave d' Iahia fils de Khaled. Sur cette réponse je lui dis, Je veux donc vous acheter de lui. Et elle me reliqua, Cela n'est pas possible; car il me possède comme un heritage substitué de pére en fils dans sa famille.* Haec scribenti suggerit memoria exemplum liberalitatis imprudenter exercitae a *Caabo* quodam; unde ortum prouerbium أجود من كعب *liberalior Caabo*. Is, quum per desertum iter fa-

facientes aquæ penuria premerentur, eam, quam sibi parauerat, in portiones æquales uniuersis distribuendam diuisit; deinde suam ignoto cuidam, qui sitibundis eum oculis adspiceret, plus semel dari iubens, ipse siti exstinctus est, referente *Al-Maidanio*, & hinc POCOCKIO *ad histor. Arab.* *p.* 344.

CXII.

الجمل بعد ألف سنة أخذ ثارة

Camelus post mille annos sumsit uindictam. Per camelum designatur gens Arabum, quæ ultionis est amantissima, adeo ut perpetrati apud illos homicidii memoriam nulla temporis diuturnitas deleat, ac citius, serius, talionem pro sanguine effuso repetant. Nota secundo, quod in multas tribus gens Arabum diuidatur, quas inter si homicidium acciderit, numquam reconciliantur, neque connubia contrahunt, neque amicitiam uel familiaritatem ullam colunt. Prouerbium uero est minitandi formula, quum quis iniuria afficitur, quam extemplo ulcisci nequit.

Ad illustrationem adagii lege BOCHARTVM *hieroz. P. I. L. II. c. I. p.* 75. 76. ubi copiose docet, uix ullum animal esse, quod uel acceptæ iniuriæ memoriam conseruet tenacius, uel ultionem persequatur acrius, quam quidem camelus, cui proinde hebræi pariter & arabes a *retribuendo* nomen dederunt.

CXIII.

الجمل بفلس أين الفلس

Camelus emitur *obolo*, sed *ubi obolus* mihi inueniendus est? Formula, qua pauperes se excusare solent, cum ab aliis redarguuntur, quare certas res sibi necessarias, licet paruo pretio uenales, non sibi comparent.

CXIV.

الجميل مع ولد الزناء ضائع ✻

Beneficium cum filio fornicationis, (i. e. erga nothum) *amissum est*. Sensus; beneficium, quod confertur in spurios, inutile est; nullam enim referunt gratiam. Notandum, quod ولد الزنا etiam de quolibet prauæ indolis dicatur. Adhibetur, cum quis alium ingrati animi criminis accusat.

In جميل (hebr. גמול *ps. CIII*, 2. 2 *chron*: *XXXII*, 25.) habes quod suppleas in lexicis. Vocis huius structura cum sequente مع refert hebræam phrasin זה חסדך את רעך *hoccine est beneficium tuum* (hæccine pietas tua) *CVM amico tuo*, i. e. *erga* eum? 2 *Sam. XVI*, 17. Et עשה חסד ordinarie cum עם iungitur. ولد الزنا ut hebraice ילדי זנונים *Hos. I*, 2. Ubi uero illo latiore significatu, quem uir perillustris memorat, phrasis hæc arabica uenit, conferri potest, quod ABVL FEDA narrat, Persarum regem *Khosroem Anuschirvanum*, quum *Mazdaci*, infami hæretico, crimina sua exprobraret, his eum compellasse uerbis يا ابن الخبيثة proprie *o fili impuri scorti*, i. e. homo pessime; Vide reliqua in *notis* POCOCKII *ad specimen histor. arab. p.* 70. 71.

CXV.

المجنون ما له الا أهله ✻

Homo fatuus neminem habet, qui stet a partibus suis, *præter parentes suos*. In tali casu ad parentes recurrendum est.

Parentes] Vide quæ dixi ad N. LX. Non satis intelligo, quo ualeat prouerbium. *Fatuos ac mente captos* homines uenerantur mohammedani, tamquam agitatos spiritu diuino, sanctos & amore numinis in ecstasin raptos. (*Conf. HERBELOT. p.* 432, *b.*) In illos itaque sententia hæc dicta non uidetur. At *furibundum* hominem, *maniacum*, *a dæmone obsessum* (is est qui مجنون uocatur) nemo non fugit. Ergo ad eos, quibus uel sanguine uel adfinitate iunctus est, proxime spectat, ut illum coërceant, ne sibimet ipse aut aliis noceat. Quodsi eo tendat adagium, monere uidetur, quod in auertendis periculis illi ante alios esse diligentes debeant, quibus ex officio maxime cura ista incumbit.

CXVI.

الأَجَاوِيدُ عِنْدَ كَلَامِهَا ۞

Viri probi sunt prope uerba sua, i. e. stant promissis.

Malim كَلَامِهِمْ & item in proximo adagio لَهُمْ pro لَهَا

CXVII.

الأَجَاوِيدُ لَهَا رَدَّاتٌ ۞

Viri probi, sunt ipsis conuersiones. Opem a uiris probis exspectandam esse, licet antea eosdem non adierimus. Quin immo sæpius sponte sua ad nos se conuertunt.

Quid si synonyma sit sententia illi, quam N. XXXI. uidimus.

Ceterum obserua heic رَدَّة in bonam partem dictum. Conferri potest, quod frequens est in Corano, تَوَّاب & تَاب de Deo adhibitum, ubi eius benignitas & gratia commendatur. u. c. *Sur. II*, 35. 51. 122. 155. 183. *Ainckelm.*

CXVIII

CXVIII.

الجار له على الجار حق

Vicinus in uicinum ius habet.

Modesta formula eorum, qui, quum bene de aliis meruerint, tamen laudari nolunt; aut qui libenter se in huius illiusue gratiam aliquid facturos pollicentur. Adhibetur etiam ut excitatio ad exercenda socialitatis & amicitiæ officia inter æquales, tamquam debita ex iure.

CXIX.

جاء حتى يلحقهم سبقهم

Venit ut sequeretur eos, & anteiuit eos. Dicitur de iis, qui insignes in qualibet arte magistros peritia superant.

CXX.

جاء من عند الله وراح في باب الله

Venit a Deo, & abiit per portam Dei, i. e. Dei caussa. Cum laudantur qui bona sua in pios usus impendunt, hoc prouerbium pro responso adhibent. Tum & illi, qui sumtus faciunt ex pecunia casu parta.

CXXI.

الجيب مسقولة وما فيها ولا فولة

Pera nitida; nec in ea, ne quidem unica *faba.*

Quando res aliqua uel homo ad speciem magna promittit, sed parum aut nihil præstat. Adludit ad mores orientalium, ubi uiatores, ob publicorum diuersoriorum penuriam, necessarium adparatum & commeatum secum ferunt, & hunc qui-

quidem maxime in peris. Quo pertinet, quod in HARIRIO legere memini, *Pietas est optima pera in sella camelina*, pro eo quod nos diceremus *optimum uiaticum*, *optimus commeatus*. τὸ جيب *pera*, quamuis ignotum lexicis sit, nec genere grammatico heic conueniat cum prædicato suo, & parum ad rem faciat, quod in *lexico pentagl.* SCHINDLERVS obseruauit, uocem illam pro *chirotheca* poni: suspectum tamen habere non ausim. Recurrit sane haud ita multo post, N. CXLIV. فولة est hebræum פול *faba*; cibus obuius uilisque pretii.

CXXII.

جيب معك حجرًا ولا تدخل
ايديك فارغة ✻

Affer tecum lapidem, nec intres manu tua uacua.

Rectius: *manibus tuis uacuis*. Non, puto, ad illum orientis morem respicitur, quo, qui uirum principem adibat, munera secum ferre solebat. Existimo potius, eo sententiam ualere, ut moneamur, debere quemuis symbolam suam, quantilla ea fuerit, conferre ad publicum bonum.

HHA.

CXXIII.

حبيبك من تحبه ولو كان
عبدًا اسود ✻

Amicus tuus is est, *quem diligis*, *etiamsi sit seruus niger*. In excusationem eorum, qui deformem amant.

CXXIV.

حجارة الحبيب رمان (a) *

Lapides amici sunt totidem *mala granata.* i. e. Amicus non potest lædere, sed quidquid ab amico venit, id in bonam partem accipi debet.

(a) vel رمانة i. e. רמונים

CXXV.

الحديث من فضة والسكوت من ذهب *

Loqui est *argentum*, *tacere* est *aurum.* Encomium silentii.

τὸ من heic, ut sæpe, pleonasticum fere aut explicativum est.

CXXVI.

الحر اذا وقع لا يتلعبط *

Vir ingenuus quando cadit in aliquod discrimen, *non vacillabit.* i. e. Æquo animo ferendum infortunium, & ad finem usque persistendum; nec media illud effugiendi nisi honesta quærat.

Talem exhibeo sententiam, qualem in codice meo reperi clarissime perscriptam. τὸ لعبط quadrilitterum verbum lexica ignorant.

CXXVII.

الحريص محروم والبخيل مذموم *

Avi-

Auidus est *repulsam passus* (i. e. uoto frustratur,) *auarus uero* est *uituperabilis* seu uituperandus, i. e. uituperatur.

An sensus iste: mala uitia tum auiditatem tum quoque auaritiam esse, sed hanc illa turpiorem?

CXXVIII.

حَاسَبَنِي حِسَابَ بُرَيْكِ

كَانَ لَكِ صَارَ لَكِ صَارَ عَلَيْكِ ✱

Computauit mecum computatione Breiki: *Erat* (i. e. debebatur) *tibi*, *factum est* (i. e. iam debetur) *tibi*, *factum est* contra siue *super te*, (i. e. iam tu debes.) Ferunt, Breikum fuisse nobilem diuitem insignis auaritiæ, qui cum creditoribus suis male agebat & in accipiendis rationibus multa fraude doloque utebatur, & ab eo in ejusdem uitii homines prouerbium translatum est.

Conf. N. XXVII. phrases كان معك & كان عليك

Post Breiki nomen subaudi τὸ *dicens* seu *dicendo*; fere ut hebræi suum לאמר sæpissime omittunt. Verba sic intelligo, ut كان لك sit *debebatur tibi a me*, صار لك *accepisti*, i. e. *persolui quod debebam tibi*, ac denique صار عليك *iam tu mihi debes*. (Similem in modum hebræis היה לך ualere potest pro eo quod latini dicunt *accepisti*.) Ita fit sensus euidentior, ac patet, querelam eius esse, qui dolet deceptum se atque circumuentum a debitore uersuto callideque adeo rationes ineunte, ut uel omnino neget debita sua, uel ea iusto minora fateatur; & uicissim credita nimium quantum exaggeret.

CXXIX.

حَسُودٌ لَا يَسُودُ ✡

Inuidus ne dominetur! Optandi formula contra inuidos.

Scribendum erat يَسُدْ secundum grammaticos.

CXXX.

حَضَرُوا وَمَا قَصَّرُوا ✡

Adstiterunt, nec tardauerunt. i. e. opportune aduenerunt. Cum quis tempestiue adest.

CXXXI.

حَطَّ ٱلْعُقْدَةَ فِي ٱلْمِنْشَارِ ✡

Posuit nodum in serra. Ejusdem cum sequente significationis.

In τῷ مِنْشَار facile recognoscas hebræum מַשּׂוֹר *Iesai.* X, 15. De prouerbii sensu & usu ita existimo. Non satis constat, qualis in serra nodus intelligatur. At uel impedit is effectum serræ; tum eos pungit sententia, qui bonis consiliis semet opponunt intempestiue, eorumque successum, qui certus uidebatur, interuertunt: Vel non impedit, ut quem secet ac soluat serra; tum in eos quadrat formula, qui, quum repellere aliorum consilia & reddere irrita nequeant, stulte tamen iis impedimenta obiicere conantur.

CXXXII.

حَطَّ ٱلْمِيَهْ فِي ٱلْهَاوُنْ ✡

Posuit aquam in mortario, proprie æneo. Dicitur de eo, qui, cum negat alicui negotio consentire, omnes cæterorum rationes reiiciens unico

ſuo argumento inſiſtit, illudque inexorabilis (a) iterum ac iterum repetit, quaſi aquam in mortario tunderet.

(a) Nec tamen quidquam proficiens Ita iam conuenit prouerbium cum illo LVCIANI ὕδωρ ὑπέρω πλήττειν, ſeu, ut REITIZVS edidit, πλίττειν, *in Hermotimo p.* 823. Ceterum aut omnino perperam, aut certe citra lexicorum auctoritatem الهيّة ſcribitur pro أَلْهَاءُ uel أَلْهَاءَة

CXXXIII.

أَلْحَقُّ يَعْلَا وَلَا يُعْلَا عَلَيْهِ ۞

Veritas ſit ſuperior, nec quidquam *ſit ſupra illam.* Veritatem ubique amplectendam eſſe, eique in omnibus cedendum. Formula, qua ſe excuſant, cum a reo deficiunt & inſontem defendunt.

يعلا ſcribas, an يعلي (cum grammaticis) parum refert.

CXXXIV.

حَاكِمُكَ خَصْمُكَ ۞

Iudex tuus eſt aduerſarius tuus. Cum quis eodem tempore eſt iudex & aduerſarius.

CXXXV.

حُكْمُ نَفْسٍ فِي نَفْسٍ صَعِيبٌ ۞

Dominium animæ in animam (i. e. alterius in alterum) *difficile* (graue) eſt. Formula qua excuſantur ſeruorum delicta, & ii qui ex arbitrio alterius uiuere recuſant.

CXXXVI.

CXXXVI.

حُلْوُ ٱللِّسَانِ بَعِيدُ ٱلْإِحْسَانِ ۞

Dulcis lingua alienus a beneficentia. Dicitur de iis, qui multa pollicentur & parum vel nihil præſtant.

CXXXVII.

حِمَارَتِي وَأَرْكَبُ فِي ذَنَبِهَا ۞

Aſina mea eſt, & conſcendo (i. e. equito) *ſuper cauda eius.* Ius & dominium liberum habemus in ea quæ noſtra ſunt; ideo de modo utendi iis argui non debemus.

Habes heic, quod in lexicis ſuppleas, in conſtructione uerbi رَكِب quod item frequentatur in prouerbiis aliis. Ita dicunt رَكِبَ ذَنَبَ ٱلْبَعِيرِ *equitauit in cauda cameli* aliusue iumenti; de homine, qui tenui ſorte contentus uiuit. Et: رَكِبَ ذَنَبَ ٱلرِّيحِ *equitauit in cauda uenti;* de eo, qui alios celerrimo curſu aut felici progreſſu ſic anteuertit, ut adſequi eum deinde non poſſint. رَكِبَ جَنَاحَيِ ٱلنَّعَامَةِ *equitauit in alis ſtruthocameli*, & رَكِبَ جَنَاحَيِ ٱلرِّيحِ *equitauit in alis uenti*; de homine, qui leuiſſime circumagitur aut rotatur uelociſſime per auras: tum proprio ſenſu; tum etiam figurato, quando quis uel calamitatum turbine ſubito abripitur, uel irrequieto animo uehementer iactatur. Unde *Iobæam phraſin c. XXX,* 22. ſcite illuſtrat ALB. SCHVLTENS.

CXXXVIII.

ٱلْحِمْلُ فِي ٱلْجَمَاعَةِ خَفِيفًا ۞

Onus super multitudinem leue est. Multi concurrere debent in aliquod opus.

Unitis plurium uiribus facile fit, quod singulis erat graue. Aut: *solamen miseris, socios habuisse malorum.*

CXXXIX.

حَيَّ هَلًا فِي مَنْ يَحْفَظُ ٱلْبُنُوَّةَ ❂

Age, bene ueniat, qui seruat amicitiam! Fidelis amici laudandi formula.

τὸ فِي heic uidetur abesse debuisse.

CXL.

ٱلْحَيَاءُ يُوَرِّثُ ٱلْخُنَاثَ ❂

Pudor adducit secum hermaphroditatem. Hoc notandum: cum adolescentes nimis pudibundi & timidæ indolis sunt, putare orientales, eos propter mollitiem ad horrendum Sodomiæ scelus delapsuros.

Talem exhibeo sententiam, qualem in codice meo perscriptam inueni, non ausus immutare uerbum وَرَّثَ lexicis incompertum. An يُورِّثُ scribendum fuisset? *hereditare facit*, quasi *heredem instituit*, hermaphroditatem; i. e. contrahit & parit impuras libidines adfectatus pudor. (Non dissimili exemplo in DIVAN HVDEIL أورثني الهوى منهم سقما *amor eorum me hereditare fecit morbum;* morbum mihi contraxit.) Sic in eos ualebit prouerbium, qui, dum uideri uolunt modesti atque pudibundi, uelo isto turpes libidines suas tegunt: aut, latius patente sensu & usu prouerbii, *qui Curios simulant, & bacchanalia uiuunt.* IVVENAL. II, 3. Lexica si consulas, خناث ipsi uocantur cinædi ac hermaphroditi, non status eorum.

CXLI.

حَيَّةٌ تَحْتَ تِبْنٍ ۞

Serpens sub stramine. Simile illi latinorum: *latet anguis in herba.* (*a*) Indicant hac formula hominem astutum & uafrum. (*b*)

(*a*) VIRGIL. *eclog. III*, 93.
(*b*) Ut dolosa eius consilia caueamus.

CHA.

CXLII.

أَلْخُبْزُ وَٱلْمِلْحُ يُثْمِرُ فِي ٱلْأَجَاوِيدِ ۞

Panis & sal fructum ferunt in uiris probis. i. e. Memoria beneficiorum in uirum probum collatorum nunquam perit. (*a*) Panis autem & sal familiarem conuictum & amicitiam significant.

(*a*) Sed pro iis ille gratum se præstat in tempore ac loco. Ad illustrationem adagii facit, quod *ingratum hominem* Turcæ توز اتمك خاين (*tus etmek chajin*) adpellent, q. d. *salis* & *panis* accepti *perfidum.* Nota CICERONIS *in Lælio c. XIX.* uox hæc: *uerum illud est*, *quod dicitur*, *multos modios* salis *simul edendos esse*, *ut* amicitiæ *munus expletum sit.* Quid, si hinc *foedus salis*, quæ sacra phrasis est, interpreteris de foedere amoris ac amicitiæ? Sic nulla prorsus erit species tautologiæ in uerbis ברית מלח עולם *numer. XVIII*, 19. E contrario, qui orientalium paullo superstitiosiores sunt, mali atque inimici animi signum interpretantur, si quis conuiua in prandio aut coena nullo sale utatur. Ad prouerbium arabicum redeo, cuius elegantia crescit ex oxymoro, si uerum est quod PLINIVS *hist. nat. XXXI*, 7. dixit, *omnem locum*, *in quo reperitur sal*, *sterilem esse nihilque gignere.* Certum utique, opinionem istam anti-

antiquis item orientalibus sedisse; in ipsaque adeo sacra scriptura non uno modo sal pro sterilitatis atque uasti status symbolo ponitur. Vide STEPH. MORINI *diss. de sale adspergi solito super urbium dirutarum ruinas.* ثمرة *fructus* conferri possit cum phrasi hebræa זמרת הארץ *genes. XLIII,* 11. de fructibus quos terra Canaanæa uel priuos habebat uel præstantiores. At non succurrunt liquida satis exempla τοῦ ז in ث mutati.

CXLIII.

خَبِّي فَحِيمَاتِ ٱلْكِبَارْ لِأَذَارْ

Occule (i. e. reconde) *carbones magnos pro Martio mense.* Non omnia eodem tempore consumenda esse, sed in aliud tempus quædam reseruanda. Porro mensis Martius nonnunquam frigus adducere solet in oriente.

Pro فحيمة lexica, inter formas complures alias, habent فَحِيم & فَحْم quod, nisi fallor, ipsissimum est פֶּחָם hebræum: quæ uox in codice sacro ubique sumitur sensu collectiuo, & *prou. XXVI,* 21. carbones notat, sed *Iesai. XLIV,* 12. *LIV,* 16. prunas; per synecdochen, si uelis, aut per ellipsin, quam suadere possit collatio istorum locorum. Non uideo, quæ ratio mouerit celeberr. uirum, IO. SIMONIS, ut *in arcano formarum p.* 588. olim, ac iterum nouissime in *lexico hebræo* uocem פֶּחָם referret inter nomina per *Mem* in fine aucta, formatam ratus eam ex τῷ פַּח cui notionem *pruna* tribuit *Ps. XI,* 6. Atqui, primum, non ignorare poterat illius *Arcani* artifex ingeniosissimus formam geminam & germanam prorsus uocis גַּחֶל. Deinde, in nomine פֶּחָם *carbo*, quod deriuatum censemus *ex uerbo qualitatis* فَحُمَ *niger fuit*, non inficiabitur significatum *subiecti qualitatis intensæ.* (p. 431.) Porro,

ex

ex coll. *Iesai. LIV*, 16. non sequitur, τὸ פחים *Ps. XI*, 6. uel ex uerbo פחח deductum esse, uel *prunas* significare, non *laqueos*. Utique loquitur ibi Dauid improprie; quod ipsum statim uerbum ימטר arguit, non prunis, quam laqueis, sine metaphora magis aptum. Et uero, ecquem fugit, in orientali praesertim, ipsoque adeo hebraei codicis stilo frequentissimum esse, ut *retis*, *laquei*, *tendicula*, similiumque rerum nomine indigitentur *calamitates & clades exitiosa*, potissimum quae subito atque ex improuiso ueniunt. Eas igitur coelitus & magna copia improbis immittens deus, *laqueos depluere* dicitur. Denique, si omnino פחים in dicto psalmorum loco non laquei sint, sed prunae; quidni, ut collectiuum singulare ad instar τοῦ פֶּחָם, uocabulum illud uel conferatur cum فَحِيم arabico, uel ad formam סֵפִיר referatur, omisso Dagesch forti ex media radicali gutturali. Vel sic τὸ פחים recte tuebitur significatum formalem suum in systemate uiri optimi, (*p.* 417.) qui leuem hunc dissensum nostrum pro humanitate sua non aegre feret.

CXLIV.

أَخْرِجْ مَا فِي ٱلْجَيْبِ يَأْتِي
مَا فِي ٱلْغَيْبِ ۞

Impende quod est *in pera; ueniet* tibi *quod* est *in occulto*, i. e. inde, unde non exspectaueras, & quod te latuerat. Sensus est: non diffidendum esse diuinae prouidentiae, neque ad auaritiae crimen declinandum sub specie curae de crastino. Quin etiam est adhortatio ad liberalitatem.

CXLV.

خُرَيْ بِٱلْعَتِيقَةِ ۞

Caca-

Cacauit in lagena. Dicitur de eo, cui per amicorum indulgentiam multa remissa sunt, qui uero deinde propter aliud aliquod grauissimum, quod excusari nequit, ab amicis destituitur.

CXLVI.

إِخْرِيْ فِي ذَقْنِ ٱلْحَكُوجِي وَلَا
تَخْرَأْ فِي حِكَايَتِهِ ☼

Caca in barba oratoris, nec caces in fabula eius. Neminem interpellandum esse in narratione sua. حكوجي *narrator*, (terminatione possessiua sermonis turcici uulgo usitata,) quales in oriente uidere est in tabernis *Caffé;* qui fictas historias regum & heroum, ut Timuri & Raschidi, filii Harunis, & meliorum auctorum orationes, ut *HARIRII*, declamare solent.

Arabicum uerbum est حكا (pro حكي) *narrauit.* Sed peregrinitatem præ se fert nominis forma حكوجي *narrator*, quem حكايتجي Turcæ adpellant, habentque istius formæ plura exempla in nominibus actorum, ab officio aliquo uel arte denominatorum, atque item in concretis qualitatis, sensu actiuo, u. c. حبابتجي *gratiosus.* Ad illustrationem prouerbii obseruamus, Arabas magis etiam, quam populos alios, naturali quodam amore atque impetu ferri in historiæ, poëseos & eloquentiæ studia, iisque plurimum delectari. Subinnuere uidetur sententia, uilos etiam, aut omnino exosos homines patienter audiendos ac ferendos, dum dicunt faciuntue, quod nobis gratum aut utile sit.

Constat satis, *Timurum* esse, quem europæorum annales *Tamerlanem* uocarunt, corrupto nomine ex *Timur lengh*, quod Persis *Timurum claudum* sonat. Eius fama hodienum

cele-

celeberrima in oriente, ubi uitam resque gestas eius descripserunt plurimi: quos inter eminere censetur SCHERF EDDIN ALI, Persa Iezdensis, qui floruit sub Timûri nepote Ibrahîmo, & cuius librum gallice conuersum dedit *Petitus de la Croix*. Vide *Acta erudit. T. IX. supplementor. p.* 80. *Hli* iungimus arabem scriptorem ACHMEDVM ARABSCHAHI filium, sed eum elegantem magis, quam fidum, historicum, certe Timûro ubique minus æquum, quem *Golius* Lugd. B. 1636. edidit arabice, ac deinde auditoribus suis latinam eius uersionem dictauit, quam manuscriptam seruo, meliorem multo & accuratiorem gallica interpretatione *Petri Vattierii*. Taceo ACHMEDVM KERMANIVM, Persam, qui, Timûro σύγχρονος, eius, atque item Alexandri M. & Ginghizkâni, uitam carmine scripsit. Taceo item generalioris argumenti historicos scriptores, præsertim ABVL VALID MOHAMMED *ben Schobbnab* arabem, *P. III. operis historici*, & KHONDEMIRVM Persam, *P. XI.* uasti syntagmatis, cui titulum præscripsit *Khelaffat al akhbar*. Vide HERBELOTVM *p.* 960. 792. 994. 995. qui & ipse paucis narrat Timûri uitam *p.* 877. *sqq*. Ubi quum hæc legantur *p.* 884. *b. Ce que nous avons dit jusqu' icy de Tamerlan, est tiré année par année de* Khondemir, *qui a abregé ce que son* Pere Emir Khouand Schah, que nous appellons vulgairement Mirkhond, *a écrit beaucoup plus amplement*; recte quidem Mirkhondus diuersus statuitur a Khondemiro, quippe qui passim Mirkhondi testimoniis nititur, (Khondemir, *qui raconte cette histoire, prend pour guarand* l'Emir Khouand Schah, auteur du Raoudhat assafa, *qui n'est autre que* Mirkhond, inquit HERBELOTVS p. 389. incunte,) sed perperam, ut puto, Mirkhondus fuisse dicitur pater Khondemiri. Certe hic, quando semet adpellat *Gaiath eddin filium Hamam eddini, cognomine Khondemir*, (HERBELOT. *p.* 994.) ipse alium patrem profitetur. Istud etiam monere liceat: HERBELOTVS, etsi sæpius Khondemirum atque Mirkhondum distinguit, u. c. *p.* 611. *L'origine de cette decendence du Sultan Mohammed, suivant le rapport de* Mirkhond *& de* Khondemir, *fut telle, &c.*) interdum tamen eos ipse confudit, ut, quando, de Mirkhondi opere, cui titulus *Raoudhat al Safá*, agens p. 709. 710. subdit: *Voyez le titre de, Khouand Schah* (i. e. Mirkhondus,) *& de, Khondemir.* Sic item eiusdem operis historici, *Khelaffat al akhbar* dicti, auctorem facit *p.* 993. Mirkhondum, at *p.* 994. Khondemirum:

Quem b. Rostgaardus *Raschidum filium Harunis* uoca is est *Haroun*, *Mahadi filius*, quintus ex domo Abbasidarum Califa, cui, ob *iustitia* amorem, aut rigorem forte datum fuit cognomen *Raschid.* Eius celebre nomen est in arabum historiis, tamquam principis potentissimi, curiosi ad omnia intenti, proni quidem ad iram, sed saepius generosi, aestimatoris doctorum ingeniorum, quemque aliorum lepida dicta & facta delectabant plurimum. Quo factum, ut multa huius generis ad aetatem eius referantur, uere nescio an falso? in fabulis Milesiis, quae sub titulo *mille ac unius noctium &c.* gallice prodierunt. Non memini iam ullius auctoris, qui ex professo uitam eius scripserit in oriente. Sed multa habent, qui Abbasidarum Calipharum chronica scripserunt, (vid. HERBELOT. *p.* 4. *b. p.* 860. *b.*) multa item KHONDEMIR *P. VIII.* syntagmatis sui, atque ABVL VALID MOHAMMED ben Schohhnah *P. III.*, nonnulla etiam *historia saracenica* Erpenii, *Abulfaragius*, & *Eutychius Alexandrinus*.

Abu Mohammed al Casem cognomen *Haririi* traxit ab oppido quodam Persiae, ubi magnam temporis partem uixit; patriam uero habuit Bassoram, Babyloniae urbem, unde item *al Basri* fuit adpellatus. Composuit sub titulo مقامات (i. e. *locorum communium*) quinquaginta dissertationes (rectius, quam orationes) moralis argumenti, arabice scriptas, stilo floridissimo, &, pro gentis more, passim multis uersibus distincto. Habentur illae pro specimine absolutissimo eloquentiae, primoque & principe loco ab Arabibus etiamnum commendantur iis, qui linguae proprietatem, copiam & elegantiam penitius discere uelint. Primam operis huius dissertationem cum uersione latina & notis grammaticis edidit *Ioannes Fabricius* in *specimine arabico;* nec multo post eum *Iac. Golius* in *auctiore grammatica Erpeniana;* optime uero tres primas dissertationes cel. *Albertus Schultens*, Franequ. 1731. In Haririum complures exstant scholiastae ac commentatores arabes; praecipui censentur *Schirazius* & *Modhafferius*, teste HERBELOT *p.* 524. Utrumque illum nominat etiam POCOCKIVS in *specim. histor. arab. p.* 388. An ergo HERBELOTVS *p.* 430 errauit, ubi de Haririi commentatoribus agens, *entre les commentaires*, inquit, *celuy d'al Motharezi al Schirâzi est le plus estimé.* Pro: *ceux d'al Modhafferi & d'al Schirâzi sont les plus estimés.* Sed errauit certe FABRICIVS, quum

Hari

Haririum floruisse ait quinto seculo post Christum natum. Dicere debuerat, *post Mohammedis fugam.*

CXLVII.

الخَرَّاءُ خُرَّاءٌ وَلَوْ قَطَعَ الفُرَّاءَ ❁

Sordidus manet *sordidus*, *quamuis traiecerit Euphratem longius.* Nota, quod trans Euphratem Persæ sint, qui moribus existimantur esse politiores. Si igitur homo stolidus ad cultiores nationes iter susceperit, reuertetur tamen stolidus.

Augmentatiui nominis genuinam formam præ se fert خُرَّاءٌ nec proinde suspectum esse debet, etsi non comparet in lexicis; ubi nec Euphratis aliud nomen uideas quam فُرَاتٌ quod a فُرَّاء nostro multum abit. Propius accedit الفُراة forma feminina, passim in *historia Saladini.* Vide SCHVLTENSII *indicem geographicum.*

CXLVIII.

الخَرِفَانُ خَرْمَانُ ❁

Qui præ senio delirat, facile efferuescit ira. Nihil boni a senibus exspectandum.

Verterem potius: *qui præ senio delirant, sunt pertinaces & obstinati animo;* idque intepretarer de moribus incommodis senum, eo maxime sensu, quo senex *difficilis, querulus, laudator temporis acti se puero, castigator censorque minorum* pingitur ab HORATIO *art. poët.* 173. 174.

CXLIX.

خُنْثَى لَا ذَكَرٌ وَلَا أُنْثَى ❁

Hermaphroditus nec masculus nec femina est. Lusus est in uerbis similiter sonantibus. Et est increpatio contra cinædos & effeminatos homines.

CL.

يخاف من خياله ❁

Timet ab umbra sua. i. e. maxime timidus est.

Conuenit, τὴν αὐτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι, *umbram suam timere*; de quo ERASMVS.

CLI.

ألخير عند أهله ❁

Bonum est apud possessores suos. Eiusdem fere significationis cum N. LXII.

CLII.

خيار ألجنون من يقع ويقوم ❁

Optima moria est eius, *qui cadit & surgit.* Peccare humanum est, sed in peccatis permanere diabolicum est. Per moriam hic intelligitur insania, quæ in oriente morbum epidemicum plerumque comitatur. Eamque dicit magis ferendam quam alterius generis stultitiam, ut sunt omnes immoderatæ libidines.

DAL.

CLIII.

ألدجاجة تشرب وتطلع لربها ❁

Gallina bibit, & suspexit (a) *ad Dominum suum.* Est admonitio, esse Deum.

(a) Etsi non raro futurum pro præterito ponitur arabice; heic tamen commodius erit tempus præsens, *suspicit. Ad domi-*

dominum suum, i. e. ad Deum. conf. super. N. XIII. Gallina quoties inter bibendum eleuato capite sursum respicit, intentis quasi oculis & grata mente ostendit atque celebrat creatorem & conseruatorem suum. Quam turpe igitur homini, non agnoscere ac colere Deum? Grauiter dictum & eleganter; conferri quodammodo potest cum *Iesai*. I. 3. *Ps.* CXLVII, 9. &c.

CLIV.

يَدْحَشْ رُكْرَتَهُ بَيْنَ ٱلظُّرُوفْ ✿

Intromittit culeum suum exiguum inter magnos utres. Increpandi formula, cum iuuenis sententiam coram senibus uult interponere.

Verbum ٮحش in lexicis prætermissum.

CLV.

ٱلدُّنْيَا جِيفَةٌ وَطَالِبُوهَا كِلَابًا ✿

Mundus (uita hæc) est *cadauer*, & *quærentes eam sunt canes.* Formula, qua suadent mundana omnia, præsertim opes, contemnere.

CLVI.

ٱلدُّنْيَا مَعَ ٱلْوَاقِفْ ✿

Mundus (homines) *cum stante*. i. e. plerique hominum stant a parte eius, qui fortuna prospera utitur, uel qui in dignitatibus collocatus est.

τὸ *stare* heic oppositum τῷ *cadere*, in prouerbio LXXXIII.

CLVII.

ٱلدُّنْيَا بِٱلْوُجُوهِ وَٱلْآخِرَةُ بِٱلْأَعْمَالِ ✿

Mundus (hæc uita) *apparentiis*, *altera actionibus*, sc. acquiritur.

Nihil notius, quam quod in theologia mohammedanorum الدنيا & الآخرة opposita ratione, *huius & futuri seculi uitam* signet; & ad istam consequendam plurimum bonis operibus tribuatur. Hactenus igitur, ex sententia illorum, dici ea potest *actionibus adquiri*. Sed non æque facile intellectu illud alterum: *hæc uita adparentiis adquiritur*. Bifariam explicari posse uidetur. *α*) Quatenus fauore principum atque optimatum comparantur bona temporalia, adquiruntur ea sæpe non ueris meritis, sed simulatis officiis & operibus ad fucum factis. *β*) Quatenus eadem bona debentur fortunæ, sæpe minus ea fauet optimis quibusque consiliis & factis, quam iis, quæ, inania quum sint, tamen soliditatis speciem præ se ferunt. Si, ut certum est, hebræa uocabula פֹּעַל & פְּעֻלָּה tum *opus* ipsum, tum eius quoque mercedem ac *opera pretium* denotare; sic item constaret, arabicum عَمَلٌ utroque significatu uenire: posset prouerbium ita uerti: *hæc uita in adparentiis, at altera illa in opera pretiis* consistit. Mollior tum foret ellipsis; & obuius sensus: bona huius uitæ esse tantum adparentia bona; sed futuræ uitæ bona esse realia & operæ pretium maximum. Elegantiam spirat lexicis inobseruatam, quod وجوه *facies*, *uultus*, ponantur pro *adparentiis*.

CLVIII.

أَلدُّنْيَا قُشُورٌ وَفُشُرٌ وَهَيْنَمَةٌ ۞

Mundus siue hæc uita nihil est quam *apparentia*, *uana uerba & gesticulatio*. Nota, quod tria hæc uocabula vulgaria sint. (*a*)

(*a*) E·que forsan de caussa in lexicis neglecta.

CLIX.

أَلدُّنْيَا سَاعَةٌ فَٱجْعَلْهَا طَاعَةً ۞

Vita

Vita hæc hora eſt, ſiue ſpatium unius horæ; *tranſige eam in obſequio.* In conſolationem eorum qui aliis parent.

Poteſt etiam exhortatio eſſe ad obſequium Dei per totam uitam.

CLX.

الدنيا يوم لك ويوم عليك ☼

Mundus (uita hæc) *dies pro te, dies contra eſt.* Quaſi diceret, totam hanc uitam duobus diebus conſtare, quorum alter felix, alter infelix. Formula, qua conſolantur eos, qui fortunis omnibus euerſi ſunt.

CLXI.

دود الخل منه وفيه ☼

Vermes aceti ex eo & in eo ſunt. Etiam res optimæ corruptionis ſuæ originem in ſe habent. Quod & dicere licet de nobilioribus familiis, in quibus aliquando ſceleratiſſimi homines naſcuntur.

CLXII.

الدار تصفر والعفار بعيد ☼

Domus uacua eſt, & inhabitans procul abeſt. Formula, qua ſignificant deuaſtationem & depopulationem urbium.

CLXIII.

الدين ولو درهما والبنت ولو مريم
الغربة ولو ميلا والسؤال ولو
كيف الطريق ☼

Debitum, *licet unius denarii*; *filia*, *quamuis Maria*; *peregrinatio*, *etsi unius milliaris*; *rogatio*, *quamquam* de nulla alia re, quam *quomodo via* se vergit. Nota, quod proprie non sit prouerbium; sed in oriente circumferri solet sub titulo مَصَايِبُ ٱلدُّنْيَا أَرْبَعٌ i. e. *calamitates huius uitæ quatuor* sunt. Quæ uerba Kesræ Persarum regi maxime cordi fuisse tradunt.

Vide superius *pag.* 45. *sqq.*

CLXIV.

ٱلْمَدْيُونُ مَا لَهُ غَلَّةٌ ☼

Obærato non est abundantia.

In lexicis restringitur uocis غَلَّةٌ significatio, sub themate غَلّ. Forte possis eam facilius deducere ex notione uerbi غلا (pro غلو uel غلي) sicut ظُبَّةٌ *gladii acies* refertur ad radicem ظبي. Prouerbium monere uidetur pauperculos homines, ne, opulentos imitando, paruam rem familiarem suam dispērdant, contrahantue æs alienum maius, quam cui soluendo pares sint.

DHSAL.

CLXV.

لِحْيَةُ ٱلطَّمَّاعِ فِي طِيزِ ٱلْمُفْلِسِ ☼

Barba auari (i. e. hominis lucri cupidi) *in podice indigi* est. i. e. Spe sua frustratur, dum nihil inuenit, quo lucrandi cupiditatem explere possit.

Genui-

Genuinam nominis augmentatiui formam praefert uox طَبَّاع lexicis omissa, perinde ut خَرَّاء in prouerbio CXLVII. Ignota item lexicis vox طبيز quam defendit synonymum syriacum ܛܒܝܙܐ obseruatum IO. BAPT. FERRARIO in *nomenclatore Syr. pag.* 890. Qua prouerbii sensum, poterat id ita quoque exponi: auari homines etiam ex pauperrimis quibusque lucrum quaerunt inhonestis artibus ac modis.

CLXVI.

ذَنَبُ ٱلْكَلْبِ حَطُّوهُ فِي ٱلْقَالِبِ
أَرْبَعِينَ سَنَةً مَا تَقَوَّمْ ۞

Cauda canis, posuerunt eam (a) *in forma quadraginta annos; non recta euasit.* Vitia difficillime corriguntur ac mali habitus.

(a) Ἀραβικῶς, pro: *caudam canis posuerunt* κ. τ. λ. Formam intellige quam nos uocamus *et Modell, en Form;* modum ad quem seu in quo res aliqua fingitur. Habetur uox apud arabem *exod. XXXII,* 4.

CLXVII.

ذَنْبُ ٱلْعَاقِلْ مَا يُغْفَرْ ۞

Crimen sapientis non remittitur. Quia non exspectatur.

Conf. mox prouerbium CXC. Dubie dictum uidetur. Potest sic intelligi: uenia peccati non facile datur homini sapienti; eo quod sapiens sit, & non debuisset peccare. Sed elegantior sensus est: sapiens non peccat. Ita subest acumen, cum specie paradoxi.

CLXVIII.

أَلذَّهَبُ يَعْشَانُ ٱلشَّحَّالَةْ ۞

L *Aurum*

Aurum indiget furfure, uel arena. Scilicet quo fricetur & poliatur. Senſus eſt, neminem aſpernandum eſſe, licet uilioris ſit conditionis & ex infima plebe natus; nam & ipſi magnates talium ope ſæpe indigent.

Verbi & forma & coniugatio & ſyntaxis heic alia, quam in lexicis.

RE.

CLXIX.

رَأْسُكَ مَا هُوَ عَلَيْكَ هُزَّهُ ۞

Caput tuum non eſt tecum, (a) *concute* (quaſſa) *illud*. Vigilandum eſſe & maximam attentionem adhibendam, nec rebus uel notiſſimis fidendum, ſed examine ubique utendum. Formula, qua incauti & imperiti ac rudes admonentur.

Proprie: *ſuper te*. Ceterum conf. ſuperius prov. XX.

CLXX.

يَرَوْنَ قُبَّةً يَحْسِبُونَ تَحْتَهَا مَزَارًا ۞

Vident fornicem, (gallis *une Dome*) *putant*, *ſub ea* eſſe *locum uiſitationis*, uel religionis cauſſa uiſitandum. Dicitur de hominibus, quorum exterior habitus multa, ſed falſo, promittit.

قُبَّة & *thalamum* notat, (unde nata Hiſpanorum uox *alcoba*, quæ ad alias item gentes tranſiit,) & generatim *fornicem*, opus locumue ſeu reuera ſeu quaſi cameratum quemcumque, ſiue ſacrum, (conf. HERBELOT. *p*. 267.) ſiue profanum. (Vide CASTELLI *lexicon*.) Quamuis igitur fornicata fere ſint ſacra Mohammedanorum loca, non tamen ſtatim quælibet fornix pro loco religionis cauſſa adeundo haberi debet, u. gr. pro eccleſia, uel ſancti alicuius aut illuſtris uiri ſepulcro. Nam & hoc Arabibus مَزَار dicitur;

tur; unde *Maziar ibi Turk* adpellatur sepulcrum Solimani Schah, qui auus fuit Othmani, fundatoris imperii turcici.

CLXXI.

رَبِّي مَا لِي غَيْرُكَ ۞

Domine mi, non mihi alius a te dominus est. Dicitur honoris gratia ad patronum quem quis elegit. Et adfertur in excusationem eiusdem, propter nimium placendi studium. Deinde adhibetur de eo, qui unicum tantum habet quod habet; adeoque nimis sollicitus est de eo conseruando. Est & inuocatio Dei in periculis.

CLXXII.

رَخَّصَ لَهُ حَبَّةً وَأَطْعَمَهُ حَرْبَةً ۞

Permisit illi granum, & pauit eum hasta. Dicitur de illis, qui beneficiis aliquem afficiunt ut eum perdant: sumta metaphora a piscatoribus & aucupibus.

Conf. inferius N. CCXLVII.

CLXXIII.

يُرَدُّ ٱلضَّيْفُ وَلَوْ أَنَّ عَشَاءَهُ مَعَهُ ۞

Dimittit hospitem, etiamsi coena eius cum eo, i. e. etiamsi coenam suam secum apportet. Dicitur de homine minime hospitali, & auaro.

CLXXIV.

رِزْقُ ٱلْكِلَابِ عَلَى ٱلْمَجَانِينِ ۞

Alimentum (sustentatio) *canum* est *super fatuis*. i. e. incumbit iis alere canes. Dicitur in eos, qui

 sumtus

ſumtus faciunt ſuperuacaneos, & homines inutiles uilesque alunt. Notandum, quod apud Muhammedanos fatui, quos religioſe tamquam uates uenerantur, (a) panem & carnes multoties per uicos aſportare & canibus undequaque accurrentibus diſtribuere ſoleant. Nempe in urbibus a ceteris omnibus deſpicatui habentur canes & domibus excluduntur. Sed feles uiciſſim maximi fiunt, & delicate admodum aluntur; idque quia traditione acceperunt de Muhammede, quod aliquando, cum flexis genibus orationi uacaret, accedens felis in ueſtis eius explicata lacinia indormiuerit, Muhammedes uero; finita meditatione, ne felem expergefaceret, ſumto forfice partem ueſtis, cui incubabat, præſciderit.

(a) Conf. ſuperius *p.* 60. Ceterum de canum odio atque contemtu apud Mohammedanos, omnino uide RELANDVM *de relig. mohamm. L. II.* §. *XXIV.* ubi & memorat Mohammedi traditionem ſeu ſententiam hanc, BORHAN EDDINO item obſeruatam, in *enchirid. ſtudioſi p.* 56. *angelus non intrat domum, in qua canis eſt.* Itaque arcentur domo; & ne uenaticos quidem canes uiri principes niſi rariſſime alunt. Sed feles libenter aluntur, easque in plateis conſtantinopolitanis geſtare indecorum non exiſtimant Turcæ, in ipſaque adeo templa intromittere, ubi ſæpe neceſſariæ ſunt ad fugandos mures qui tapetes rodunt. (RELAND. l. c.)

CLXXV.

أَلرِّزْقُ مَقْسُومٌ ۞

Bona (a) huius uitæ *diuiſa* ſunt, nempe a Deo. Formula, qua ſe conſolantur qui non ſunt diuites.

(a) Proprie: quidquid ad uitæ ſuſtentationem pertinet.

CLXXVI.

CLXXVI.

ارْضَاءُ ٱلنَّاسِ بِعُقُولِهَا لَا بِمَالِهَا ❂

Status contentus hominum est *ex ingenio suo* (*a*) *uiuere*; *non*, *in diuitiis suis*.

(*a*) Dubito, recte ita uersum. Malim: *status contentus hominum in intellectu suo*, *non in diuitiis suis* est. Præstant animi dotes bonis fortunæ. Pro suffixo utroque هـا maluissem هـم Vide *not*. *p*. 60.

CLXXVII.

رَغِيفٌ بِرَغِيفٍ وَلَا يَبَاتُ جَارُكَ جَوْعَانَ ❂

Panis pro pane, *nec pernoctet uicinus tuus esuriens*. Exhortatio ad mutuum dandum & ad opem indigis ferendam.

Usitatius scribitur يَبِتْ omissa littera quiescente. Conf. N. CXXIX. *p*. 65.

CLXXVIII.

يَرْكُضُ يَرْكُضُ وَٱلْعَشَآءُ خُبَّيْزٌ ❂

Currit, *currit*; (i. e. multum laborat,) & *coena* est *malua*. i. e. parvum fructum ex ingenti labore percipit.

De τῷ ركض uid. N. XII. *p*. 8. Gratiam habet, quod *coena* heic mentio fiat potius quam *prandii*. Illic enim, ut græci ac romani olim; ita hodie orientales genio magis indulgent. Quin & nostris moribus lautiora conuiuia uespere ut plurimum celebrantur. Sistit itaque prouerbium hominem, qui, quum desudarit per totum diem, uix tandem, omni labore suo, adquisiuit quo, sub noctem, explere latrantem stomachum queat. Sed possis etiam uti prouerbio isto in sordidos Eucliones, qui, licet indefesso studio corradunt opes immensas, uili tamen uictu (quo in genere censetur malua,) utuntur.

CLXXIX.

أَلرَّمَدُ أَخْيَرُ مِنَ ٱلْعَمَاءِ ۞

Lippitudo (*a*) *melior est coecitate.* i. e. Ex duobus malis minus est eligendum.

(*a*) Quamuis significatum hunc uocis arabicæ lexica ignorent, eum tamen admittit linguæ analogia, sub forma infinitiui, ex uerbo رمد *laborauit lippitudine aut dolore oculorum.*

CLXXX.

أَرْمَلَةٌ وَعَدَسٌ وَمُجَوَّزَةٌ وَعَدَسٌ ۞

Vidua & lenticulam edit, *& nupta* (*a*) *etiam lenticulam* edit. Nunquam nubendum nisi pro meliore sorte adipiscenda.

(*a*) Tacet de significatu hoc GOLIVS plane. GIGGEIVM si audias, جَوَّزَ, nonnulli *maritum* interpretantur; *sed est*, inquit, زوج. Rursus: جَوَّزَ *binos consociauit & matrimonio iunxit; sed est potius* زوج. Denique: جَوْزَةٌ *uxor; sed est*, ait, *externa lingua.* Mihi nec opus esse metathesi uidetur, nec uocandam in subsidium extraneam aliquam dialectum. Nam جَازَ denotat, inter alia, *licitum fuit*; in secunda coniugatione, *licitum fecit*, *permisit.* Hinc مُجَوَّزَةٌ *nupta*; proprie, uiro suo *licita & permissa.* Perinde ut ex حَلَّ *licuit*, dicitur حليل *maritus*, حليلة *uxor*; quæ item حرمة adpellatur, i. e. aliis quibuscumque, præterquam marito suo, *uetita.* Vide superius *p.* 54. De cetero ad litteram sic adagium sonat: *uidua* est; *atque lentes* sunt uel adsunt: *& item nupta* est; *atque lentes* sunt uel adsunt. Viduas hortari uidetur, ne ad secunda uota facile transeant, si non adfulgeat certa & manifesta spes lautioris fortunæ.

CLXXXI.

أَرْمَى فِي عُبَّةِ فَارَةً

Iniecit in finum eius murem. i. e. Inquietum & follicitum reddidit narrando aliquod nuntium. Vel, fophifmatibus & uerborum ambagibus ipfum irretiuit.

Induitur heic nouo fignificatu uox عُبّ (ufitatius غُبّ) quæ alias depreffam terram, ftagnum, itemque *maris finum* notat.

CLXXXII.

يَرْمِي ٱلنَّارَ وَيَزْعَقُ ٱلحَرِيقُ

Iniicit ignem; & clamat, Incendium! Dicitur de feditiofis hominibus, qui, cum fint malorum auctores, primi de iis conqueruntur.

Malim fere حَرِيقٌ omiffo articulo; ut fieri folet in exclamationibus. Sic Sur. II, 55. *Intrate portam adorantes, & dicite,* حِطَّةٌ *Venia!* Sur. VII, 161. *Habitate urbem hanc & dicite,* حِطَّةٌ *Venia!* Priore in loco *Hinckelmannus* حِطَّةً pofuit contra codicum meliorum auctoritatem; etfi nec iftam conftructionem refpuit arabifmus.

CLXXXIII.

رَاحَ رِجْلاً إِلَى قُدَّامٍ وَعَشَرَةً إِلَى وَرَاءٍ

Iuit pede uno (a) *anterius, & decem* pedibus *retrorfum.* Dicitur de eo, qui inuitus aliquo ire cogitur, fiue qui rem haud alacriter aggreditur.

(a) Malim: *pedem* (i. e. paffum uel gradum) unum *antrorfum, at decem retrorfum.*

CLXXXIV.

رَاحَتِ ٱلسَّكْرَةُ أَتَتِ ٱلْفِكْرَةُ ۞

Abiit ebrietas; uenit consideratio. i. e. Moeror uoluptatem ſequitur.

CLXXXV.

رَايِحَةٌ بِتَقُومُ ٱلْقِيَامَةُ. أَيْشْ رَايِحْ يَصِيرُ فِي ٱلدُّنْيَا ۞

Vadens ſurget reſurrectio; quid uadens fiet in mundo? Vel: *Inſtat dies iudicii; quid tandem fiet in rerum natura?* (*a*) Formula, qua terrorem ob aliquos magnos euentus ortum diſſipant & rident, & adflictum, ſolatium admittere nolentem, increpant. رايح *Vadens*, adiungitur uerbis; plane ut apud Gallos in hac phraſi, *il va venir.*

(*a*) Poſterior hæc uerſio magis eſt ad rem adcommodata. Pleonaſmi τοῦ رايح exemplum fuit N. LXIII. *p.* 34. & mox recurret. Sed quod heic rurſus futuris præmittatur τὸ بِ, uitioſum exiſtimo. Conf. *not. p.* 55.

CLXXXVI.

رَايِحْ يَبْطُلْ ٱلْكَوْنْ لِأَجْلِهِ ۞

Vadens ceſſabit rerum exiſtentia propter illam. Formula, qua ſignificant, ſe facile carere poſſe homine repulſam dante uel mortuo.

CLXXXVII.

رُوحْ سَايِمْ وَعَاوِنْ مُشْتَرِي ۞

Abi expiscaturus ualorem mercium, & redi emens. Nihil præcipitanter emendum esse, sed pretium a compluribus mercatoribus antea efflagitandum.

Scribo رَخّ (ut قُلّ, كُنْ &c.) & مُشْتَرٍ

Qua rem conf. N. XXVIII.

ZE.

CLXXVIII.

الشَّيْ الَّذِي يَنْكَسِرُ مِنْ ضَرْطَةٍ لَا خَيْرَ فِيهِ ۞

Qui penis frangitur (a) *a crepitu uentris, in eo nil boni.* In timidos.

(a) Non eadem plane, quæ in lexicis est, uerbi notio; sed cum hac tamen facile conciliianda. Sensu conuenit cum germanorum illo: *wer von Draüwetten stirbt, dem soll man mit Esels F . . . . zu Grabe laüten.*

CLXXXIX.

يَزُقُّ الْبَحْرَ بِالصَّغْدَةِ ۞

Transfert mare cum concha. De iis dicitur, qui ingens opus paruis uiribus, adeoque sæpius repetito impetu perficere conantur.

صَغْدَة lexicis ignotum. ܨܥܕܐ Syris *hydriæ* species aliqua est apud CASTELLVM. Idem esse puto صعدة. Verbum זקק apud hebræos inter alia notat *fundere*. Atqui dudum monui (*diss. ad cantic. Debora commata X, et XI. p. 61.*) uicinas sibi esse *hauriendi* & *fundendi* notiones. An ergo arabicum زقّ etiam *hauriendi* significatu uenit?

M Sane

ne deriuatum nomen قِرْبَة utrem notat, quo ut recondi, item hauriri fluidum aliquod potest. Iam ita uertendum ret prouerbium: *haurit mare hydriâ;* & sensu conueniret im eo, quod HADR. IVNIVS ex SIMOCATTO protulit: ἐὰν ἐργῶδες καὶ τοῦ καθαίρειν τὴν Αὐγείου κόπρον ὶ δυσεργέστερον, ἢ κοτύλῃ τὸ ἀτλαντικὸν ἅπαν ἐκρο-ῆσαι πέλαγος, *ualde operosum, & difficilius quam sit re-rgare Augiæ sterquilinium, aut quam sit atlanticum mare tum cotyla exsorbere.*

CXC.

زَلَّةُ ٱلْعَاقِلِ بِأَلْفِ زَلَّةٍ

Crimen prudentis pro mille criminibus habetur.

f. superius N. CLXVII. Quanto quisque maiorem pruden-am famam sibi comparauit, tanto errores eius in oculos ma-s incurrunt, nec paratam facile ueniam habent.

CXCI.

زَمَانَ ٱلرَّخَاءِ كُنَّا كُلُّنَا أَصْحَابٌ

Tempore abundantiæ eramus nos omnes amici. Est rimonia de iis, qui amicos laborantes deserunt.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

OVID. *Trist.* I, 9, 5. 6. Adde græcum istud: ζεῖ χύτρα ζῇ φιλία.

CXCII.

تَزَوَّجْ بِفَلْسٍ وَطَلِّقْ بِلَا شَيْءٍ

Contrahe matrimonium pro denario uno, & dimitte tam gratis. Prouerbium, quo utuntur mariti, bus uxores non placent. Et encomium (a) rationis.

(a) Eo

(a) Eo sensu non potest, nisi a vulgo profano & ultima plebis fæce, adagium hoc frequentari. Quamuis enim orientales in libidinem sint effusi; non tamen, qui paullo honestiores uideri uolunt, ita pudorem omnem posuerunt, ut diserte scortationem commendare uelint. Ceterum sic intelligo sententiam, ut moneat, ineunda esse matrimonia, si uel tantilli lucri spem adferant; sed, eo cessante, rescindenda per repudium, si maxime alia non adsit iusta caussa. Nimirum, quia Mohammedani, ui legis suæ, ad obsequium habent ancillarum suarum corpora, ideo facile coniugum legitimarum tædio ducuntur, adeoque repudiant eas pro lubitu. بلاش (contracte pro بلا شيء) nobis est *for ingen Tings Skyld.* Sic item hebræum חִנָּם sæpe adhibetur.

CXCIII.

زِينَةُ ٱلشَّبّ قِلَّةُ أَكْلِه ✱

Ornamentum iuvenis est *paucitas esus.*

Formula, qua suadent & commendant iuuenibus in cibo (ac potu) mediocritatem. Malim (ٱلشَّابّ)

SIN.

CXCIV.

سَلْ مُجَرَّبًا وَلَا تَسْئَلْ حَكِيمًا ✱

Interroga hominem expertum; nec interroges (a) sapientem. i. e. Experientia præstat speculatiuæ scientiæ.

(a) Latine: *potius quam* sapientem. Simile exemplum uide N. XXXIII. & CXLVI.

CXCV.

سَلْ عَنِ ٱلرَّفِيقِ قَبْلَ ٱلطَّرِيقِ ✱

Quare socium ante iter. (Est in editis.) Sensus: præparanda esse omnia negotio necessaria, antequam illud aggrediamur.

CXCVI.

إِسْرَحْ مَعَ ٱلنِّعَاجِ وَبَاتْ مَعَ ٱلدَّجَاجِ ✿

Exi e domo cum ouibus, & pernocta (i. e. cubitum i) *cum gallinis.* Præstat uigilia matutina serotinæ.

وَبِتْ scribere grammatici iubent.

CXCVII.

أَلسَّعَادَةُ ذَنَبُهَا أَمْلَسُ ✿

Felicitatis cauda est glabra. Difficile est, fortunam fauentem diu conseruare; facile enim nos effugit. Dicitur de iis, qui, fortunæ abusi bonis, in humilem statum deiiciuntur.

Concinit illud CATONIS: *Fronte capillata est, post hæc occasio calua.*

CXCVIII.

أَلسُّكُوتُ قَرَارٌ ✿

Silentium est *confessio.* Fere simile est illi: *Qui tacet, consentire uidetur.*

CIC.

سَكِّرْ بَابَكَ وَلَا تُتْهِمْ جَارَكَ ✿

Claude portam tuam, nec suspectum habeas (i. e. furti accuses) *uicinum tuum.*

Ita reprehenduntur, qui, per incuriam suam passi iacturam aliquam rerum suarum, deinde alios immerito suspectos habent.

beat, acsi eas abstulerint. Itemque monet adagium, ne, rem familiarem negligendo, furti occasionem malis hominibus praebeamus.

CC.

أُسْكُنِ ٱلْمُدُنَ وَلَوْ جَارَتْ
وَٱتَّبِعِ ٱلطُّرُقَ وَلَوْ دَارَتْ
وَخُذِ ٱلْبِنْتَ وَلَوْ بَارَتْ ۞

Habita urbes, etiamsi tyrannico imperio opprimantur;
Et sequere uias maxime tritas, etiamsi per longiorem circuitum ducant;
Et duc filiam, etiamsi aetate adeo sit prouecta, ut gignere nequeat.

Coniunguntur heic tria diuersi generis ueriuerbia ex poëta nescio quo. Ultimum quo tendat, dixi *pag.* 3. 4. Prima sententia socialitatem commendare uidetur, & dissuadere solitudinem. Et quamuis eodem inflecti etiam secunda possit; (ipsaque adeo tertia, si eam intelligas ut exhortationem ad matrimonium, accepta uoce بِنْت sensu generaliori, ut בת *genes.* XXXIV, 17. Danice, *et Fruentimmer:*) rectius tamen, puto, accipitur ceu admonitio contra eos directa, qui, ut supra alios sapere uideantur, nouis atque inusitatis agendi rationibus utuntur, operae compendium facturi, sed dubio ac incerto euentu. Aliquid huius significationis est in nostro: *Frygt Gud og følg Landeveyen;* nec non in graeco illo τῇ λεωφόρῳ βαδίζειν.

CCI.

ٱلْمُسْلِمِينَ قُلُوبُهُمْ مَثَلُ
شَتَاشَآتِهِمْ أَللَّهُ عَاطِيهِمْ
عَلَى قَدْرِ نِيَّتِهِمْ ۞

 Musul-

Musulmannorum corda sunt *sicut cidares eorum*; (nempe candida;) (*a*)

Deus dat illis quantum intentio eorum, i. e. secundum intentionem eorum.

Encomium Musulmannorum; quia existimantur probatæ fidei esse, & ideo imperium in christianos exercere.

(*a*) Conf. *p*. 48. 49. Cur مسلمون (*Moslemi*) nominari uelint Mohammedani, notius esse puto, quam ut ego id nunc debeam docere. Nimirum adpellatione illa semet iactant, quasi præ aliis *imperio Dei penitus submissos*. Proba uox شباشة, etsi desideratur in lexicis; ubi tamen est synonymum مشوش.

CCII.

يُسَلِّي ٱلْهَمَّ بِٱلزَّبِيبِ ۞

Consolatur sollicitudinem uvis passis. Dicitur, cum quis ad angorem animi arcendum paruis rebus tempus fallit. Notandum, quod uvæ passæ sint cibus familiaris iuniorum; qui ludum litterarium frequentant. Nam ad iuvandam memoriam aptissimæ habentur. De quo uide librum ZARNOVCHII, qui inscribitur طريق المتعلم.

Plenus titulus ita habet تعليم المتعلم طريق التعلم *institutio discipuli in semita sapientiæ*. Auctor est BORHAN EDDIN *Alzernouchi*. Librum olim latina uersione donarat, sed illa liberiore, *Abrahamus Ecchellensis*. Aliam deinde, auspiciis *Iosephi Banese*, Romæ b. ROSTGAARDVS elaborauit, submisitque *Hadr. Relando*, qui textum arabicum cum utraque uersione illa edidit Ultraj. 1709. eique titulum fecit *Enchiridion studiosi*. Ibi *sect*. *XII*. agitur de iis rebus, quæ uel augent memoriam, uel obliuionem inducunt, & in priore genere commendatur *manducatio XXI. uvarum passarum rubrarum singulis diebus, ieiuno stomacho*. p. 145.

CCIII.

CCIII.

سُمَّاقِيٌّ عُقْبَانُ ٱلْبَاقِي ✲

Summâkijon fiat *exitus reliquorum!* Imprecandi formulà, qua, accepta alicuius inimici cæde aut morte, optant, ut reliqui eiusdem familiæ eamdem mortem oppetant. *Summâkijon* uero dicitur allegorice, propter colorem eius rubrum paullo nigricantem; qui color esse solet sanguinis a peste corrupti. Et quemadmodum hæc planta (quam *Dn.* Golius *Rhus* (a) uocat,) cum eius succus ad condiendos cibos adhibetur, eos colore suo tingit; ita uolunt, ut sanguis pestiferus inimicorum suorum corpora intingat & perdat.

(a) De frutice hoc uide SALMASIVM in *homonymis hyles iatrica c. LVIII.* Eius fructu aut semine in opsoniis olim utebantur græci, (DIOSCORID. *de materia medica I, 147.*) ac romani, (PLIN. *XXIV,* 11.) hodieque seruidioris orientis incolæ utuntur. Nimirum, quia inter præcipua remedia est ad tormina & dysenterias curandas præcauendasque; quibus morbis homines, sub istis caloribus degentes, ualde obnoxii sunt, dicente MART. LISTERO *not. ad Apicium X,* 8. Arabicum nomen *Sumac* ad europæos etiam transiit, ductum haud dubie a colore rubro, fructuum eius maxime; (nam chaldæis, syris, samaritanis סמק *rubere* notat;) unde *Summakijon*, proprie *sumaci colore rubro tinctus*, heic ponitur pro *sanguinolento*. Perperam arabs Waltonianus τὴν σχῖνον interpretatur سماق *in histor. Susannæ vs.* 54.

CCIV.

أَسْوَدُ ٱلرَّأْسِ لَا تَأْمَنْ (a) إِلَيْهِ ✲

Niger capite est; *ne fidas illi.* Intelliguntur heic nigri capite filii Cham, Æthiopes & Mauri, qui sunt fere omnes famuli apud magnates in oriente.

(a) Conf.

(a) Conf. *not. p.* 30. Nimirum censentur illi homines utplurimum esse animo maligno; adeoque item nigri sensu *Horatiano.* - - - *Absentem qui rodit amicum*, (& quæ deinceps plura sequuntur,) *hic niger est, hunc tu, romane, caueto.* Sermon. I, 4, 81. sqq.

SCHIN.

CCV.

أشباط الشباط يشبط ويلبط وريحة الصيف فيه ❁

Februarius tumultuatur calcitrans; tumultuatur & calcitrat; & tamen odor æstatis in eo est. Etiamsi multis tempestatibus agitur, tamen in eo sæpe apparet sol in illis regionibus & æstatem promittit.

Formula uidetur esse consolatoria eorum, qui, maximis calamitatibus pressi, futurum sperant, ut melior aliqua spes mox affulgeat. In uerbis, si recte scripta & uersa sunt singula, habes unde lexica suppleas plus uno loco. Uei superius N. CXLIII. Martii, sic item heic Februarii nomen peregrinum a Syro-macedonibus ad Arabas uenit. Sed in iudæorum calendario שבט est *Iannarius*, אדר *Februarius*.

CCVI.

الشبعان يفت للجوعان فتا بطيا ❁

Satur conscindit frusta panis (pro iusculo) *esurienti scindendo lente*, uel, scissione lenta. i. e. Qui opibus adfluit, aliorum sortem uel omnino non dolet, uel leuissimis tantum uerbis consolatur.

CCVII.

شحاذ ما يحب صاحب مخلاية ❁

Mendicus non amat habentem saccum pabulatorium. Conuenit cum illo: *Figulus figulum odit.*

Analogia defendit nomen شحّال deriuatum ex uerbo شحل (de quo p. 15. monui.) legitima quidem forma, quæ tamen ipsa etiam lexicis inobseruata, nisi quod ibi شحّال inuenias. GOLIO auctore مِخلاة pro quo heic dicitur مخلاية) est saccus pabulatorius, qui cum pabulo de capite adpenditur iumento, ut ex eo alimentum capiat. Sed latius patet uocis usus. Nam 1 *Sam. VI*, 8. 11. 15. ponitur pro hebræo ארגז & *c. XVII*, 40. 49. pro pera pastoritia Dauidis. Sic item heic peram mendicantis notat.

CCVIII.

الشِّدَّةُ إِذَا نَزَلَتْ عَلَى الْجَمَلِ هَدَّتْهُ ✿

Calamitas si descenderit super camelum, profligat (a) *illum*. i. e. uirum quamuis fortissimum calamitas labefactat.

(a) *Frangit; labefactat*. شدّة sunt res adflictæ, angustæ, ad extremam miseriam, inopiam, inediam redactæ, (SCHVLTENS *ad Iob. V*, 22.) iis uel ipse tandem camelus frangitur, durum licet animal, sitisque ac famis *patiens*, etiam in plures dies. (Nescio, an ista etiam de caussa camelum arabes *patrem Iobi* appellarint; cuius nominis aliam rationem DAMIRIVS profert, apud BOCHART. *hieroz. L. II. c.* 1.) Facile patet, formulam hanc, qua excusantur, qui aduersa fata sua tandem impatientius ferunt.

CCIX.

الشِّدَّةُ تَزُولُ ✿

Calamitas præteribit. Consolandi formula.

CCX.

الشِّدَّةُ شِدَّةٌ وَلَوْ كَانَ رَخَاءً (a) ✿

Angustia est angustia, quamuis abundent opes. Ita dicunt ægroti adflicti, licet alioquin prospera utantur fortuna.

 (a) Pro-

(a) Proprie: quamuis fuerit (i. e. adsit) *laxitas* siue *amplitudo.* Confer synonymum وسع eiusque deriuata, in lexicis: & oppositam phrasin romanorum, *res angusta,* pro paupertate significanda.

CCXI.

شَرَآيَةُ ٱلْعَبْدِ وَلَا تَرَبَّاهُ ۞

Emtio serui, & non (a) educatio eius. Præstat, seruum emere, quam puerum ad seruitium educare. Ita & res, quæ pro pecunia haberi possunt, emendæ potius, quam multo labore & studio efficiendæ.

(a) i. e. *potius quam.* Infinitiui nominascentis formam تربّا analogia linguæ tuetur.

CCXII.

اِشْتَرِي حَاجَتَكْ مِنَ ٱلسُّوقْ
وَلَا تَرْبَحْ جَمِيلَةْ مَخْلُوقْ ۞

Eme necessarium tuum (a) ex foro,
Nec lucraberis beneficium cuiusquam *creati,* (hominis.) Præstat rem emere, quam petere.

(a) i. e. *id, quo tibi opus est,* emere malis ære tuo quam dono accipere; ne quid cuipiam debeas. سوق est hebræum שוק quod οἱ LXX. ἀγορὰν uerterunt *eccles. XII,* 4. 5. *cantic. III,* 2. Ut جميل antea p. 59. ita heic جميلة *beneficium,* in lexicis supple.

CCXIII.

يَشْرَفْ (a) بَيْضْ ٱلْخَنْزِيرْ ۞

Deglutit testiculos porci. i. e. Gulosus est & uorax. Deinde etiam usurpatur sensu morali de eo, qui nulla religione ducitur & ad omnina scelera paratus est.

(a) يشرف

(a) يشرف legendum existimo: de quo uerbo confer GOLIVM. Ceterum ut apud iudæos, sic item apud Mohammedanos summa in detestatione sunt sues, & quæcumque ab iis proueniunt; nec eos uel tangere fas est, nedum edere suillam. Vid. RELAND. *de relig. Mohamm. L. II. §. XXIV.* Hac parte homo gulosus, ac nulla ductus *religione*, prouerbio isto pingi potest. Nec tamen satis intelligo, cur ille porci *testiculos* deglutire magis dicatur, quam alias eius partes quascumque? Utique *Iesaias c. LXV*, 4. *LXVI*, 17. sub hac imagine impietatem iudæorum pingens, satis habet dixisse, quod comedant *carnem porci*. An igitur in illo arabum prouerbio respicitur simul ad naturalem quasi horrorem, quo ducti homines pudentiores, atque moratiores, in esu animalium fere abstinent ab eorum genitalibus? Alioquin notum, testiculos vulgo *ἐν τοῖς ἀφροδισιακοῖς* censeri. Narratque GESNERVS *histor. animal. L. I. p. m.* 900. non incelebrem olim medicum BARTHOLOM. MONTAGNANAM uerris testiculos in medicamine quodam ad coïtum uiri & conceptum mulieris promouendum adhibuisse. Quodsi eadem sedeat vulgo arabum sententia, eoque prouerbium spectet, in libidinosos id ualebit maxime.

CCXIV.

شَعْرَةٌ مِنَ ٱلْخِنْزِيرِ أَخْيَرُ مِنْهُ ۞

Pilus ex porco melior ipso (a). Dicitur in auaros, quorum uel minima dona accipienda sunt, quique minoris sunt faciendi, quam leuissima ipsorum munera.

(a) Non *porco*; sed *τῷ δεῖνα*, nimirum homine sordido atque auaro. Scilicet non suillam modo carnem, sed pellem quoque, ac ipsos adeo pilos, Mohammedani abominantur. Ceterum si cui coacta uideatur interpretatio, quam ex ore magistri sui uir perillustris dedit; conferat nostrum illud: *Der er ikke et got Haar paa ham*; quo pessimum ac nauci hominem significamus.

CCXV.

۞ اِشْتَغِلْ بِغَلَسٍ وَحَاسِبِ ٱلْبَطَّالَ ۞

Labora pro obolo, & computa cum otioso (a). Melius est, pro paruo lucro laborare, quam nihil agere.

(a) Nimirum, exacto labore sentios, aliquid te lucrifecisse; sed alterum illum omnino nihil.

CCXVI.

أَلشُّغْلُ صَابُونُ ٱلْقُلُوبِ ✿

Labor smegma cordium. i. e. diluit, deterget & proluit curas. Encomium laboris.

Quamuis arabice uerbum صبن notet *smegmate illinere;* uidetur tamen iste significatus ex nomine صابون uenisse, quod ipsa (ni fallor) forma grammatica peregrinum esse arguit, ex σάπων deriuatum (ut alia multo plurima) ad Arabas, quando hi cum graecis exercere commercia coeperunt, eorumque libros in linguam patriam conuertere. Sane ita ex κανὼν factum قانون. Et graeca uoce illa σάπων usus est PAVLLVS AEGINETA, (teste HENR. STEPHANO. Alios auctores iam non curo, quos CANGIVS laudat, *glossar. gr. p.* 1333.) qui celebris seculo post C. N. septimo medicus ita innotuit arabibus, ut eius libros & legerint (adlegatur enim saepius ab AVICENNA, u. g. I, 167, 8. & 183, 20. & 273, 17.) & in suum transtulerint sermonem. Quam in rem adscribere lubet ABILFARAGII uerba p. 114. (181.) *E medicis, qui hoc tempore* (nimirum sub Chalifatu Omari) *floruerunt, fuit PAVLLVS AEGINETA, medicus suo tempore celebris. Insigniter autem peritus fuit in mulierum morbis, multumque illis curae impendit. Conuenire illum solebant obstetrices, & eum de rebus, quae mulieribus post partum acciderent, consulere; quibus respondere dignabatur, &, quid facerent, in illis, de quibus quaesierant, indicare: unde eum* ألقوابلي *(al-kawâbeli,* q. d. obstetricium) *adpellarunt. Scripsit librum de medicina, in nouem distinctum tractatus,* (editiones graecae libros septem habent,) *quem transtulit HONAIN EBN ISAAC, & librum de adfectibus mulierum.* (At iste uel particula fuit syntagmatis illius maioris; uel, si separatim exstitit, graecis periisse uidetur.)

CCXVII.

CCXVII.

شقّت الدّبّة كسّها ما ضرّت إلاّ نفسها ☼

Dilaceravit lupa (a) *vuluam suam; non nocuit* cuiquam *nisi sibimet ipsi.* Adhibetur de iis, qui, cum iniuriam acceperunt, plus æquo indignantur, ac furore abrepti uindictam meditantur, quæ maximum damnum illis ipsis & eorum rebus adferre potest.

(a) *Ursa*, dicere uoluit uir perillustris.

CCXVIII.

☼ شقوف الخرء ما تنكسر

Vas testaceum merda non frangetur. Mali non pereunt.

Vertendum: *uasa testacea - - non franguntur.* Vicinum nostro: *Ukrud forgaaer ikke.*

CCXIX.

شكرنا القطّ خري بالطّحين ☼

Laudauimus felem; cacauit in farina. Dicitur de eo, qui etiam tum, cum laudibus ornatur, iis quasi abusus ac sui oblitus, grauius aliquod crimen committit.

CCXX.

ألشّمس طالعة والمطر نازل ☼

Sol exoriens, & pluvia descendens. Usurpatur quando quid intempestiue accidit.

Quando, uerbi caussa, boni alicuius adfulgens spes subito dispellitur ac euanescit.

CCXXI.

شمعون يغطي على العيون لا
يغشون ولا يبصرون ۞

Simon cooperiat oculos, ne uideant nec intueantur. Oratio ad Simonem Magum, qua utuntur, qui falsam monetam mercatoribus, uel corruptas merces emtoribus tradere conantur. Notandum, nummularios fere omnes in oriente iudæos esse, quippe qui peritissimi habentur in metallis dignoscendis. Ferunt, fuisse iudæum quemdam nomine Simonem, qui multos falsos nummos peculiari dexteritate distrahebat. Hunc eum esse, qui in hoc prouerbio inuocatur, nonnulli credunt. Alii uero de Simone Mago intelligunt; quod uerosimilius uidetur: nam ad fascinandos oculos inuocatur.

CCXXII.

المشنقة ماتت بحسرة المديون ۞

Patibulum mortuum est præ desiderio debitoris: quem scilicet numquam adhuc uidit suspensum. Formula, qua sibi superbe gratulantur debitores.

CCXXIII.

الشهر الذي ما لك فيه
علوفة لا تعد أيامه ۞

Mensis in quo tibi non redit stipendium, ne numeres dies eius.

Quo hoc pertineat, nescio. Num hoc uult: eorum, quæ nullam utilitatem nobis adferunt, rationem habendam non esse?

esse? An potius: moram temporis, si quod nobis sine lucro elabatur, non impatienter ferendam? Nam qui rei alicuius uehementiore desiderio tenentur, ii dies, horas, momenta numerare vulgo dicuntur, donec uoti compotes fiant.

CCXXIV.

شَاوِرْ أَكْبَرَ مِنْكَ وَأَصْغَرَ مِنْكَ

وَارْجِعْ إِلَى شَوْرِ نَفْسِكَ ۞

Consilium pete a maiore quam, & a minore quam tu es ætate; *& redi ad consilium tuummet ipsius.* Non semper tam confidenter aliorum, licet grauium, amplectenda esse consilia, sed apud nosmet ipsos etiam perpendenda. Est quoque exhortatio ad petendum consilium uel a minimis.

CCXXV.

شَامِيٌّ بِلَا أَلامَةٍ مِثْلُ ٱلسَّيِّدِ

بِلَا عَلَامَةٍ ۞

Damascenus absque malitia est (a) *quemadmodum Scherifus sine signo* in cidari. Vide quæ de cidari (atque item de Scherîfis) dicta sunt ad prou. XCIV.

(a) Nimirum æque rara auis. ألامة in lexicis frustra quæras. شامي tum Syrum generatim notat, tum speciatim Damascenum. Conf. HERBELOT. *p.* 282, *b.* 772, *b.* Idem *p.* 799, *b.* de titulo سيد ita commentatur. *Ce mot Arabe, qui signifie proprement SEIGNEUR, est devenu le titre des Chefs de famille de la posterité d'Aly.* Forsan hausta hæc sunt e scriptore Persa; qua in gente Aly summa in ueneratione habetur. Aliis auctoribus, (quod & ipse didici expertus,) dignitatis axioma illud sibi sumunt, quotquot ex *Mohammede* genus ducunt, uel uere uel falso. Ergo non *Alida* uel soli uel omnes; nedum illi tantum, qui Alidarum familias condiderunt. Nam 1.) præter *Fatimam*, uxorem

uxorem *Aly*, Mohammedus genuerat filias tres; *Zainabam*, *Rokayam* & *Omm-Kolthûmam*, easque uiris elocarat. (GAGNIER *vie de Mahometh P. II. p.* 325. (*) 2.) Ipse Aly, post Fatimæ mortem, plures duxit uxores, ex iisque liberos reliquit; quorum nonnulli manentem posteritatem condiderunt, ipso teste HERBELOTIO *p.* 94. 95. Conf. SIM. OCKLEY *histor. Saracen. T. II. p. m.* 180. 181.

(*) Idem uir doctissimus ad ABVLFEDAM *p.* 147. *in margine*, subnotat quidem ex ALKODAIO, Rokayam & Omm-Kolthûmam nullam prolem reliquisse. Esto. At Zainaba prolem relinquere potuit; si maxime uera sint, quæ de morte eius memorat *p.* 110.

CCXXVI.

شَامِيٌّ شُومِيٌّ حَلَبِيٌّ جَالِبِيٌّ مِصْرِيٌّ
حَرَامِيٌّ هِنْدِيٌّ فَقِيرُ ٱللّٰه ☼

Damascenus uafer, *Aleppensis elegans*, *Ægyptius fur*, *Indus pauper dei.*

شوم *nequitia*; obseruatum CASTELLO uocabulum: unde شومي (siue شُومِيّ malis) *nequam.* Peregrinitatem τοῦ جالبي ipsa eius scriptio prodit. Turcis جالبي (forte etiam جالبي) *nobilem* significat. De Indis mendicantibus in oriente conferes superius *prou. XCVII.* Si quæras; cur illi uocentur pauperes *Dei*? caussam esse puto uel eam, quod natura proni ad desidiam, nec solliciti de uictu atque amictu in crastinum, credantur in diem uiuere, ac semet quasi prouidentiæ diuinæ alendos dare: uel istam forte, quod, ubi mendicant hi homines, simulent habitum & gestus eorum, qui ex singulari amore Dei, pietatisque insigni zelo, respuunt bona temporalia & ultro pauperes sunt. Nam hoc etiam genus arabice فقير adpellatur. Vid. HERBELOT. *p.* 330. *b.*

CCXXVII.

شَيْءٌ مَا مِنْهُ نُخَالَةٌ يِنْقَضِي (a) ☼

Res

Res non (i. e. nil quidquam) *de eo* prouenit; *fumus eius excoecat.* Dicitur de iis, qui nos incommodant, & a quibus nullam utilitatem percipimus: allusione facta ad lignum humidum.

(*a*) De τῷ ب uitioso ante *futura* monui *p.* 55. & 88.

SAD.

CCXXVIII.

صَبِّحِ ٱلْقَوْمَ وَلَا تُمَاسِهِمْ

Saluta mane gentem, (coetum (*a*) hominum,) *nec salutes eam sero.* Cum compotes fieri uolumus eius, quod ab aliis petimus, tempore matutino potius, quam serotino, adeundi nobis sunt ii, quibuscum negotia tractamus. Nam existimantur mane esse hilariores propter captam quietem, ac ideo nobis fauentes aures præbent: quod non fieret sero, quia tum defessi ob laborem diei facile in iram delabuntur.

(*a*) قَوْم non ita ubique gentem aut coetum hominum significat., quin etiam ualeat pro nostro *Folk.* Est ergo sensus: *Hils Folk am Morgenen*, &c.

CCXXIX.

صَبْرٌ جَمِيلٌ وَبِٱللّٰهِ (*a*) ٱلْمُسْتَعَانُ

O præclaram patientiam! Et a Deo auxilium petendum est. Usurpatur aduersus eos, qui nimis instant, cum aliquid efflagitant, nec recedunt licet multoties repulsam passi.

(*a*) Legendum وَٱللّٰهُ. Nam sic habet formula coranica *Sur. XII*, 18. unde sententia hæc desumta; quamuis ibi ea non eodem ualet. Conf. *Sur. XXI. fin.*

CCXXX.

✡ اَلصَّبْرُ مِفْتَاحُ ٱلْفَرَجِ

Patientia eſt clauis ſolaminis.

Concinit *Horatianum* illud: *leuius fit patientia, quidquid corrigere eſt nefas.* Od. I,24,19. Eleganter فرج (quæ uox proprie *apertionem* & *dilatationem* animi notat,) ad gaudium atque ſolatium ſignificandum transfertur. Simile eſt ורחב לבבך quod *Ieſ.LX,*5 habetur. Oppoſitum צרת נפש *angor, moeror;* quaſi *conſtrictionem animi* dicas, *geneſ.XLII,* 21. Taceo eiusdem generis exempla plura.

CCXXXI.

✡ (a) أَصَابِعُكَ فِي أَيْدِيكَ مَا هُمْ سَوَاد (a)

Digiti tui in manibus tuis non ſunt æquales.

(a) Ita ſcriptum; ſed mendoſe, puto, pro أَسْوَآءٌ uel أَسْوَآءٌ ſi recte uerſum. Quo ualeat prouerbium, neſcio. Subnotauit quidem uir periliuſtris, eſſe id *eiusdem ferme uſus cum præcedente.* Sed exceperat ille ſingula prouerbia ex ore magiſtri atque in chartam coniecerat, ut occaſio ferebat, nullo alphabeti ordine ſeruato. Et arabica quidem ſeorſim ſcripſerat, iuſto inter ſingula ſpatio relicto: eodemque plane modo, at in aliis foliis, latina. Ibi tunc anteceſſerat prouerbium ſenſu atque uſu cum hoc noſtro conueniens, cui ſua fuerat interpretatio adiecta. Deinde uero, exemplari utroque diſſecto in ſchedulas, atque his, ſecundum alphabeti arabici ſeriem, glutine fixis in libro, qui prouerbiorum ſyllogen ordine iuſto contineret; factum eſt paſſim, ut nonnullorum, priſtino loco motorum, uſus & ſignificatio nunc minus pateat. Quod ſemel monuiſſe ſatis habeo.

CCXXXII.

✡ أَصْفِي نِيَّةً وَنَامْ (a) فِي ٱلْبَرِّيَّةِ

Purifica intentionem, & dormi in deſerto. i. e. Dummodo rectam intentionem habeas, nihil timebis.

(a) Conf. p. 3. not.

CCXXXIII.

صَلَحْتَ لِي وَصَلَحْتُ لَكَ مِنْ
عَوَرَتِي إِلَى حَدَبَتِكَ ۞

Idoneus fuisti mihi, & aptus fui tibi; a luscitione mea ad gibbum tuum. Dicitur de coniugibus æque deformibus, aliisque rebus æqualiter uitiosis.

GIGGEIO dudum obseruatum nomen عورة (eo quidem, quo heic uenit, significatu,) non erat, cur GOLIVS omitteret. In prouerbio uel subaudiendum aliquid relinquitur, uel interiorem quamdam elegantiam habent particulæ من & الي.

CCXXXIV.

صَمْدٌ وَفَرْشٌ مَا فِي كَنْسٌ وَرَشٌّ مَا فِي ۞

Ornamentum & tapetes non sunt: uerrere & aspergere non est? (scilicet, in potestate tua; ut id facias.) Exhortatio ad pauperes, ut curent domum suam si non magnificam, tamen nitidam habere.

Singulare heic est *το* في absolute positum, extra omnem nexum cum uoce aliqua sequente: quod nescio an GIGGEIVS obseruarit in libello de particulis arabicis, quem in lexico suo passim citat. Nouum item صمد *ornamentum*: forsan tueri se potest hebræo צמיד, quæ uox *armillam* notat, manus *ornamentum*.

CCXXXV.

صِهْرِي يَا قُدَيْدِيسَ ٱللّٰهِ ٱلَّذِي
يَبْغُضُكَ تَجِيهِ نَقْمَةُ ٱللّٰهِ ۞

Gener mi, o sanctule Dei! qui odio te habet, ueniat illi uindicta a Deo. Sciendum, quod, quum in

ori-

oriente numquam (*a*) cum mulieribus conuerſari detur, matrimonia ut plurimum per parentes contrahi ſoleant, ita ut matres generos (*b*) eligant, eosque ita ament, ut iis in omnibus etiam plus æquo faueant. Dicitur de iis, qui nimis excuſant amicos ſuos.

(*a*) Raro. (*b*) Sæpe. Cæterum obſeruari heic meretur diminutiui nominis, ex trilittero ducti, forma noua, nec uel grammaticis, uel lexicographis, obſeruata قُدَيْدِيسٌ. Geminum germanum exemplum eſt قُدَيْدِيمٌ *paullo anterior pars.*

CCXXXVI.

صِيتُهُ يَقْطَعُ ٱلظَّهْرَ

Fama eius ſcindit dorſum. Dicitur de heroibus, quorum ſolum nomen terrorem incutit.

CCXXXVII.

صُوفَتُهُ حَمْرَآءُ

Lana eius eſt rubra. i. e. infortunatus eſt, quique hoc titulo ab omnibus notus.

Ex arabico صوف potius, quam, quod nonnulli faciunt, ex græca uoce σοφὸς, deriuo nomen صُوفِيّ quod religioſum hominem, ſeu peculiariter deo conſecratum, generatim notauit primum, (quia id genus non ſericis, ſed *laneis ueſtibus* utebatur; conf. ANGELI a S. IOSEPHO *gazophylac. lingu. Perſar. p.* 190.) at tandem gentilitium quaſi euaſit ultimorum Perſiæ regum, (quod ex tali homine genus ducerent,) atque item proprium alicuius ſectæ philoſophorum, de quibus legi meretur CHARDIN. *Voyage de Perſe T. V. p. m.* 152. *ſqq.* Cæterum ex prouerbio iſto liquet, rubro colore portendi triſte quid atque ominoſum: ad cuius rei illuſtrationem nonnihil facere poſſunt, quæ idem CHARDINUS *T. VIII. p.* 31. narrat, *le Roy, vêtu tout de rouge,*

rouge, selon la maniere du païs, qui fait, que le Roy s'habille de cette façon lorsqu'il doit faire mourir quelque grand Seigneur; & quæ porro sequuntur.

CCXXXVIII.

صَارَتْ لَهُ مُصِيبَتَيْنِ طَلَعَتْ
دَقْنُهُ وَجَاءَهُ بِنْتَيْنِ ☼

Acciderunt illi duo casus: exorta est barba eius, & uenerunt ei duæ filiæ. Notandum, quod barba, ut alibi diximus, grauitatis & modestiæ signum sit: ideoque iuvenes, cum primum crescere incipit, liberiori uitæ generi ualedicere coguntur. Deinde, filiæ numerantur inter casus aduersos, ut supra annotatum est. (*a*) Sed apud christianos etiam illo sensu adhibetur prius prouerbii membrum, ut intelligatur, illos, quibus prima barba uenit, tributo fieri obnoxios, quia tum ad uirilem ætatem peruenisse censentur, quam pro exigendo tributo definiuit Muhammed. (*b*)

(*a*) Vide *p.* 45. 48. Prouerbii usus esse uidetur, quando complura in aliquem mala subito irruunt. Grammaticæ leges pro مُصِيبَتَيْن & بِنْتَيْن requirunt مُصِيبَتَانِ atque بِنْتَانِ. Ac item صَارَتَا pro صَارَ, & جَاءَتَاهُ pro جَاءَهُ.

(*b*) Hodie passim etiam pro infantibus tributum soluitur.

CCXXXIX.

أَلصَّيْفُ لَوْ كَانَتْ لَهُ
أُمٌّ لَكَانَتْ بَكِيَّةٌ عَلَيْهِ ☼

Si esset æstati mater, fleuisset ea super illa. Formula, qua, hyemis & nubili temporis pertæsi, æstatem deflent. (*a*)

 (*a*) Ade-

(a) Adeoque uehementer aduentum eius expectant. Est autem صيف proprie prima æstas duorum mensium ueri proximorum; ex ueteri diuisione anni arabici in partes æquales sex. De qua conferatur GOLIUS *ad ALFERGANIUM p.* 5.

DAD.

CCXL.

يَضُرُّ ٱلْمَعْدَةَ وَلَا يَنْفَعُ ٱلْأَعْدَآءَ ۞

Noceat stomacho potius, *nec prosit hostibus.* Accipiendum quidquid offertur ab hominibus non amicis, etiamsi illo non indigeamus.

CCXLI.

يَضُرُّنِي وَلَا يَنْفَعُ ٱمْرَأَةَ أَبِي ۞

Noceat mihi potius, *nec prosit uxori patris mei*, i. e. nouercæ meæ. Eiusdem cum præcedentis significatione.

Uxor patris, pro nouerca significanda, *Leuit. XVIII*, 8. 11. &c. 1. *Cor. V*, 1.

CCXLII.

أَلضَّرُورَةُ لَهَا أَحْكَامٌ ۞

Necessitas habet sua decreta. Parendum est necessitati.

CCXLIII.

أَلضَّرْبَةُ ٱلَّتِي فِي ٱلرَّأْسِ مَا مِنْهَا مَنَاصٌ ۞

Ab ictu in caput inflicto *non est fuga*, i. e. difficile est ab illo liberari.

Eorum hæc formula esse uidetur, qui, magnis imminentibus periculis, ultima quæque pro salute sua tentant; uel qui tandem succumbunt malis, quæ non potuerunt repellere.

CCXLIV.

CCXLIV.

إضْرِبِ ٱلطِّينَةَ بِٱلْحَيِطِ (a) يَا تَلْزَقْ يَا مَا تَلْزَقْ ☼

Iniice lutum in parietem: aut hærebit, aut non hærebit. Sensus est, tentandum semper esse, neque metu repulsæ a petitione desistendum.

(a) Habes heic iterum, quod suppleas in lexicis, geminum يا, *siue, siue.* Ibidem frustra quæras حيط; usitatius حايط. Vide CASTELLVM.

CCXLV.

ضَرَبَنِي وَبَكَى وَسَبَقَنِي وَٱشْتَكَى ☼

Verberauit me, & plorauit; præiuit me, & conquestus est. Dicitur de iis, qui primi adoriuntur, noxamque aliis inferunt, & deinde conqueruntur, quasi sibi illata esset iniuria.

TA.

CCXLVI.

ٱلطَّبْعُ غَلَبَ ٱلتَّطَبُّعَ ☼

Natura (siue indoles) *uincit institutionem.* Non male huc quadrat uersus: *naturam expellas furca, tamen usque recurret.* (a)

(a) HORAT. *epistol. I,* 10, 24. Pressius concinit nostrum, *Naturen gaaer over Opvoedelsen.* تطبّع malis; an تطابع, parum refert. Utraque forma æque apta uidetur ad *institutionem* significandam, quæ non permittit, ut nostris moribus uiuamus, nostroque indulgeamus genio; sed ad aliam quasi naturam fingit formatque nos & trahit.

CCXLVII.

CCXLVII.

أَلطَّاحُونُ (a) دَآيِرَةٌ وَٱلْبَرَكَةُ طَآيِرَةٌ

Mola circumacta, & benedictio auolans. Dicitur in eos, qui nimis laborant & parum proficiunt.

(a) الطاحونة legendum, genere feminino.

CCXLVIII.

طَعَمَهُ بَقَّةً خَرَّآهُ إِيَّاهَا جَمَلًا

Cibauit eum culice, quem fecit eum cacando reddere camelum. In eos, qui plus exigunt quam dant de suo.

Confer latinum illud: *pileum donat, ut pallium recipiat.* Adde mox *prou. CCL.* Obseruari autem heic uelim oppositionem, quae fit culicem inter & camelum: pro illustratione uerborum Christi, *Matth. XXIII, 24.*

CCXLIX.

طَعَمَهُ حَبَّةً وَأَرْخَالَهُ حَرْبَةً

Cibauit eum grano, & immisit in eum hastam. Vide simile prouerbium in littera ر p. 83.

CCL.

طَعَمَهُ عُصْفُورًا خَرَّآهُ إِيَّاهُ كُرْكِيٌّ (a)

Cibauit eum passere, quem fecit eum reddere cacando gruem. Dicitur in auaros, qui, cum parua largiantur, magna officia uicissim exigunt.

(a) كركيا scribere grammatica iubet.

CCLI.

أَطْعِمِ ٱلسُّمَّ (a) تَسْتَحِي ٱلْعَيْنُ

Ciba

Ciba os, erubescet oculus: i. e. non denegabit tibi, cui aliquod munus dederis. Vel: in conuiuiis proponenda sunt negotia, & repulsam non feres.

(*a*) Recurrit heic فم *os*, de quo monui *p.* 45. Et hoc quidem in loco certa uidetur ista significatio; etsi necdum scio, unde ea uenerit.

CCLII.

طَقَّ عِرْقُ ٱلْحَيَاءِ مِنْ بَيْنِ عَيْنَيْهِ ۞

Sonuit (i. e. rupta fuit) *uena uerecundiæ inter oculos eius.* Contra mendicos & meretrices. (*a*) Fabulantur, quemdam diuitem ad summam miseriam redactum fuisse; qui cum diu dubitasset mendicare, tandem fame impellente manum extendisse eleemosynam rogando: ac ipsum tunc audiuisse maximum sonitum in fronte, & sensisse uenam quamdam inter oculos ruptam fuisse.

(*a*) Forsan generatim contra perfrictæ frontis homines quoscumque. Conf. de prouerbio isto SCHVLTENS ad Iob. - - -

CCLIII.

طَلَعَ طُلُوعَ ٱلْيَقَاطِينِ (a) وَنَزَلَ نُزُولَ ٱلْبَاذِنْجَانِ ۞

Ascendit ascensione cucurbitarum, & descendit descensione melongenarum. Dicitur de eo, qui incipit multa præclara facinora præstare, & famam acquirere, subitoque ad inertiam ac dedecus prolabitur.

(*a*) يَقْطِين scribitur; pro hebræo קִיקָיוֹן *Ioh. IV,* 6. 7. & hinc in Corano *Sur. XXXVII,* 146. Ubi MARRACCIVS subnotat, *cucurbitam* poni *pro hedera;* ex uersione LXX. interpretum, qua christiani in orientali ecclesia utebantur. Ita nimirum patrocinari uoluis interpreti Vulgato; modesti-

us quidem quam GIGGEIVS. Is enim plane pronuntiat, arabico nomine illo non cucurbitam modo, & herbam quamcumque serpentem adpellari; sed ipsam quoque *hederam*. Audax adsertum; cui probando testes requirebantur. Atqui HIERONYMVS ipse palam profitetur, non se proprii nominis hederam intellexisse: (Vide CALMET. *ad Ion. l. c.*) eoque minus opus erat, ad eius defensionem commenta fingere. Cæterum in prouerbio arabico respectum puto ad ipsum Kikájon Ionæ; quod, per traditionem ab orientalibus christianis (forte iudæis quoque) acceptam, Mohammedus de cucurbita intellexerat. Ni cucurbitarum alius culturæ modus sit in oriente; (nam apud nos humi serpunt:) ita quidem, ut illæ furcarum aliorumue adminiculorum ope in altum consurgant. بادنجان *melongena* est, in *Kirstniano indice libri II. canonis Avicennæ.* (Ibidem, quod obiter moneo, *hedera* nomen non يقطين est, sed قسوس *κισσὸς*, ut in lexicis.) Frutex iste uix ultra pedis unius altitudinem assurgit, certe in India; & fructus, ubi maior est, paruæ cucurbitæ formam refert: (Conf. *Berichte der Königl. Dänischen Missionarien aus Ostindien, XLIII. Continuation, p. 877. sqq.*) quæ res auget elegantiam prouerbii arabici.

CCLIV.

الطالعة والنازلة على هل الرويّس ۞

Ascensus & descensus super hoc capite est. i. e. Qualiscumque rerum sit euentus, huic uiro tribuitur; super quo, quasi cardine, tota res uoluitur.

Videntur heic complura subesse uitia scriptionis. Lego:

الطَّالِعَةُ وَالنَّازِلَةُ عَلَى هَذَا الرُّيَيِّسِ

CCLV.

هلّق أُخْتِي وَخُذْنِي أَنَا (a) أُخْتِي

بِالْوَيْلِ وَأَنَا بِالْعَمَى ۞

Dimitte sororem meam, & accipe me: soror mea in miseria est, *& ego in coecitate* (subintelligitur *mentis.*(b)

Dici-

Dicitur de duabus rebus æque malis, quæ eligentem animo fluctuantem & ancipitem relinquunt.

(a) τὸ أنا rhythmo inseruire heic uidetur. Sed ordinarie *nominatiuum* (*ego*) exprimit. Heic uero accusatiuus requireretur: *me inquam*. Hebræis id non insolitum, ut pronomina personalia separata pro *casibus obliquis* ponantur *post suffixa*; maxime *uerborum*. (Vide sic τὸ אני *gen. XXVII*, 34.) An item Arabibus? Id equidem non obseruaui. Nec tamen ausim negare. Quodsi إنّ legeris, (*sane* soror mea &c.) uel أنّا, (*nos quod adtinet*, soror mea &c.) nulla prorsus supererit species rhythmi.

(b) Sic habetur uox arabica *Marc. III*, 5. in polygl. Anglic.; at recentior interpres Londin. ibi habet قساوة *duritiem*, πώρωσιν.

CCLVI.

أَلطَّمَعُ غَرَّارٌ ۞

Πλεονεξία *deceptrix* est. In auaros, qui uoto sæpe frustrantur.

CCLVII.

أَلطَّمَّاعُ مَا يَغُشُّ سِوَى نَفْسِهِ ۞

Auarus non decipit nisi se ipsum.

CCLVIII.

أَلطَّمَّاعُ يَاكُلُ مِن كِيسِهِ ۞

Auarus edit (dissipat) *ex crumena sua.* (ex fundo (a) suo.) i. e. Dum præ nimio lucrandi studio alios fallere conatur, iacturam patitur.

(a) Gallicismus est; ut quum dicunt: *il ne mange pas seulement le reuenu, mais aussi le fonds.* Ignotum lexicis uocabulum طمّاع (ad formam شحّان *p.* 97.) heic recurrit. Conf. *p.* 81.

CCLIX.

أَلطَّاعَةُ طُولَةُ عُمْرٍ ✿

Obedientia est longitudo ætatis. Parendum esse superioribus; per rebellionem enim in uitæ discrimen facile adducimur.

Potest item sententia hæc conferri cum præcepto diuino *exod. XX*, 12.

CCLX.

أَلطَّوِيلُ أَحْمَقُ ✿

Longus homo est *stolidus.*

Sic apud ARISTOPHANEM μέγας pro homine stolido, quem LVCILIVS item *magnum* dixit, apud VARRONEM *lib. VI.* Adde MARTIALEM *VII*, 99. *IX*, 51. Idem *longus homo* CATVLLO 68, 47. Confero nostrum illud: *Det er ikke alt got hvad stort er.*

CCLXI.

أَلطِّيزُ ٱلَّتِي (a) بِتَطُوفُ
لَا تَغْزِلُ لَا قُطْنٌ (b) وَلَا صُوفْ (c) ✿

Podex, qui huc illuc diuagatur,
Non net neque gossypium neque lanam.

Prouerbii sensus ultro patet. De τῷ طيز vid. *p.* 81.

(a) Dele τὸ ب Conf. *prov.* CCXXVII.

(b) قطنًا (c) صوفًا

CCLXII.

أَلطِّيزُ ٱلَّتِي تَضْرِطُ لَا بُدَّ مَا تَخْرِي ✿

Podex qui pedit, necessario cacabit. Quum quis pudorem exuere coeperit, ad quælibet deinceps scelera dilabetur.

Est heic لا بدّ ما nouo constructionis exemplo. Pro تسخري scribendum uidetur تُسَخَّر.

DA.

CCLXIII.

الظَّرْفُ الَّذي مَا يَنْتَفِخُ مَعْيُوبٌ ۞

Uter, qui non inflatur, (a) *uitiosus* est. Dicitur in eum, qui nullius gloriæ uel laudis amore ducitur; præsertim ad componenda negotia.

(a) i. e. Qui non turgescit inflando. Tunc enim rimas habet.

CCLXIV.

ظَرْفُ الْعَسَلِ يَنْضَحُ عَسَلًا وَظَرْفُ الْخَرَا يَنْضَحُ خَرْءًا ۞

Uter mellis transmittit mel, & uter stercoris transmittit stercus. Alia a generosis hominibus, alia a uilibus perpetrantur.

AIN.

CCLXV.

الْعَبْدُ الْبَطَّالُ يَنْفَعُ الْجِيرَانَ ۞

Homo otiosus prodest uicinis. Quippe a quo unusquisque uicinorum officia expetere potest.

Vel, qui, dum ipse non uult laborare, uicinis suis uberiorem lucrandi occasionem subministrat.

CCLXVI.

الْمُعْبَتَرُ يَظُنُّ مُعْتَرٌّ ۞

Infelix manet infelix. Nulla temporis diuturnitas ipsum a miseria uindicat. Quippe sic scriptum in fatis credunt.

Lege heic RELAND. de relig. Mohamm. L. I. c. VII. Conf. mox *prou. CCLXXII.*

CCLXVII.

أَلْمُعْتَرُّ يَظَلُّ قَلْبُهُ تَعْبَانْ ☼

Miseri cor manet fessum, i. e. Semper premitur angustiis.

Excusantur, qui, miseriis uexati, aliorum gaudiis tristes intersunt.

CCLXVIII.

أَلْمُعْتَرُّ فِي أَيْنَ مَا كَانَ مُعْتَرًّا ☼

Infelix, ubicumque fuerit, est *infelix.* Etiamsi apud nobiles degat.

Conf. mox *prou. CCLXXIV.*

CCLXIX.

أَلْمُعْتَرُّ مِنْ أَيْدِهِ وَأَلْمُسْعَدُ مِنْ أَيْدِهِ ☼

Miser, ex manu sua; felix, ex manu sua (i. e. ex se ipso) est. Sensus est, in potestate utriusque fuisse aliter se habere. Formula, qua exprobrant infortunatis, eosque excusatione indignos censent.

Aequipollet igitur latinorum illi: suae quisque fortunae faber est.

De τῷ مسعد uid. *p.* 8, & de τῷ ايد *p.* 38.

Lexicorum auctoritate scribendum fuerat أيديه.

CCLXX.

عَجُوزْ عَلَيْهَا أَللَّعْنَةُ تَجُوزْ ☼

Vetula, super ea maledictio permittitur. (*a*) Quia scilicet pleraeque uetulae ingratae sunt; tum & multae

multæ pro ueneficis habentur; & puellas uitis prostituunt.

(a) i. e. Vetulæ maledicere, licet.

CCLXXI.

ألعجلة من الشيطان ۞

Præcipitantia a diabolo est.

Considerate agendum esse, adagium monet.

CCLXXII.

ألعديم يظلّ عديم ۞

Pauper remanet pauper; etiamsi factus fuerit diues. Sed uox arabica de iis intelligitur, qui omnibus destituti omnia appetunt.

Mihi uidetur sensu conuenire cum antegresso *prou. CCLXVI.*

CCLXXIII.

ألعديم عمرة ما (a) يبشبع ۞

Pauper (famelicus) *numquam saturabitur.*

(a) Dele τὸ ب ut *prou. CCLXI.* Intelligo, ut nostrum: *Den Gierrige faaer aldrig nok.* Sane isto significatu uenit عديم in adagio sequente.

CCLXXIV.

ألعديم في أين ما كان عديم ۞

Inops ubicumque fuerit, est *inops.* Etiamsi diuitiis affluat, & alio se conferat; semper, quoad animum, sordidus & pauper est.

CCLXXV.

(a) تعريص السلطان في قفاه ۞

Leneci-

Lenocinium exerceat (i. e. ualeat) *Sultanus in tergo ipsius*, i. e. quum absens est. Formula qua se defendunt, qui absentes calumniantur, uel eorumdem memoriæ se parcere simulant: quasi dicerent, non quidem metu se detineri a calumniis, (nam etiam de Sultano absente male loqui licere,) sed æquitati potius se uelle consulere.

(*a*) De τῷ تعريص ignoto mihi quidem uocabulo monui *p.* 17. 18.

CCLXXVI.

عَزْرَآيِيلُ عَمِيَ مَا عَادَ يَغْشَعُ

Izraël excoecatus est; non redit uidere, i. e. non uidet amplius. Nota primo, quod Izraël sit nomen angeli mortis, ex traditione rabbinica. (*a*) Nominatur interdum cum epitheto عزرايل قبّاض الارواح *Izraël apprehendens manu animas.* (*b*) Est indignatio aduersus homines uiles & inutiles, qui & familiæ suæ, & rei publicæ, oneri sunt ac dedecori; quasi mortem illis optando. Quin & adhibetur ab hominibus, qui propter morbos diutissimos, uel alias quascumque calamitates, uitam odio habent.

(*a*) Vid. NEVBAVERI *diss. de angelo mortis*, Halæ 1732. Conuenit inter iudæos & mohammedanos de quodam mortis angelo, qui, iussu diuino, e corporibus animas euocet. Sed eum iudæi utplurimum *Sammaëlem* adpellant; & diuersum faciunt a דומא uel דומה *Duma*, qui, angelus uita functorum, eos in die nouissimo ad tribunal Dei uocabit. (BERACHOTH *f.* 18, 2.) Contra ea uero עזריאל iis est angelus aquis præfectus, ne terminum suum illæ transeant & terram cooperiant. Unde igitur factum, ut عزرايل (nam ita plerumque scribitur,) mortis angelum mohammedani nominent? Ex traditione uitiata; puto. Alias mortis

angelus

angelus apud arabas أبو يحيى *pater Jahja* uocatur; nescio, qua de caussa. Magis olim dictus *Asuman*; Persis hodie *Mordad*. Ceterum a iudæis ad mohammedanos propagata simul est, cum figmento isto de angelo mortis, altera item fabulosa doctrina de τῇ חיבוט הקבר *percussione sepulcbrali*; de qua BVXTORFIVS *lexic. talm. p.* 698. & *synagog. iudaic. c. XLIX. p. m.* 713. *sqq.* Videatur GVADAGNOLVS *apolog. relig. christ. p.* 206. 207. MARRACCIVS *prodrom. P. III. p.* 90. & *ad Sur. VIII,* 53. Adde ZACHAR. GRAPII *diss. de percussione sepulcbrali ex iudæorum & mohammedanorum sententia*, Rostoch. 1699.

(*b*) Inde, usitata formula, تُوُفِّيَ *susceptus est* (nempe ab angelo mortis,) dicitur de homine animam exhalante, (e. g. *Sur. II,* 234. 241. *III,* 48. &c.) quem item uocant مقبوضا q. d. *manu prehensum* ab angelo mortis.

CCLXXVII.

عِزَّ نَفْسَكَ تُجِدْهَا دَلِّهَا تُهَانْ ✿

Caram & eximiam habe animam tuam; inuenies eam: uilipende eam; contemnetur. Utut fortuna iniqua utamur, numquam tamen ad uilia exercitia & mercenaria opera conferre nos debemus.

Lego عَزِّ & دَلِّلْهَا Nam in prima coniugatione uerba hæc intransitiue aut neutro-passiue significant.

CCLXXVIII.

عِزْرَائِيلُ عِنْدَ رَاسِ أَيِّ (*a*) مُدَلَّلٍ ✿

Izraël apud cuius dilecti caput iam sedet? Formula est, qua mortem eorum, qui minus grati sunt, exoptant, quasi obiurgantes angelum mortis, quod non e medio tollat, nisi eos, quorum uita parentibus maxime cara est. Vox arabica in primis significat liberos unicos; qui quum sint

unici, delicate admodum nutriuntur, & quibus omnia a parentibus conceduntur.

(a) In MSto est ايـنـا Pro مدلل lege, sis, مُدَلٍّ.

CCLXXIX.

✡ عِزْرَآيِيلُ عَمْرًا مَا يُخْرَبُ لَهُ بَيْتٌ

Izraëli numquam destruetur domus. Dicitur, quum illi, quorum mors multum optatur, præter opinionem diu vivunt. Vel de iis, qui censentur morte digni, quacumque de caussa.

Conf. mox *prov. CCLXXXIX.*

CCLXXX.

✡ أَلْعُصْفُورُ يَتَفَلَّى وَٱلصَّيَّادُ يَتَقَلَّى

Passer pediculos quærit; uenator (siue auceps) *torretur*, i. e. aduritur cupiditate capiendi illum uisco suo uel laqueo. Dicitur de duobus hominibus, quorum alter genio indulget; alter uero maxime sollicitus est de aliquo negotio, quod ab illo priori pendet.

Arabica insignem elegantiam habent ex rhythmo.

CCLXXXI.

✡ أَلْعَقْلُ فِي ٱلرَّاسِ

Intellectus in capite est. Non sunt confundendæ res, sed singulæ suo loco quærendæ. Item exhortandi formula, pro attentione adhibenda.

CCLXXXII.

عَقْلُ ٱلْعَاقِلِ فِي رَاسِهِ وَعَقْلُ
✡ ٱلْجَاهِلِ فِي رِجْلَيْهِ

Intel-

Intellectus intelligentis est *in capite eius; sed intellectus insipientis in pedibus ipsius.* Homo prudens semper ratione sua utitur; stolidus perperam ac peruerse agit. Mentem heic subit *SEVERI Imp.* uox apud SPARTIAN. *c.* 18. *Tandem sentitis, caput imperare, non pedes?*

CCLXXXIII.

عَلَّمْتُكَ عَلَى ٱلنَّاسِ مَا
عَلَّمْتُكَ عَلَى نَفْسِي ۞

Docui te artes, siue machinamenta, *contra alios* adhibendas; *non docui te,* ut exerceres eas *contra me ipsum.* Patet, eorum querelam esse, qui ab illis, quos antea fraudes atque dolos docuerant, iam ipsi sentiunt adpeti se ac laedi.

CCLXXXIV.

يَتَعَلَّمُ ٱلْبَيْطَرَةَ فِي
حَمِيرِ ٱلْأَكْرَادِ ۞

Discit ueterinariam in asinis Curdorum; qui existimantur esse stupidi.
De *Curdis* (post GOLIVM *ad ALFERGAN. p.* 227. *sqq.* & PETR. DELLA VALLE itinerar. P. II. *p. m.* 72. *sqq.*) lege HERBELOT. *p.* 279. HYDE *de relig. uett. Persar. p.* 491. *sqq.* & ALB. SCHVLTENS *indicem geograph. in uitam Saladini.* Sensu conuenire adagium hoc cum sequente uidetur, & in eos dici, qui, quod aiebat ille, faciunt periculum in anima uili.

CCLXXXV.

يَتَعَلَّمُ ٱلْحِلَاقَةَ فِي
رُؤُوسِ ٱلْيَتَامَى ۞

Discit artem radendi in capitibus orphanorum. Reperitur hoc prouerbium, sed paullo immutatum, inter sententias arabicas ERPENII; num. IX.

CCLXXXVI.

عَلَى قَدِّ ٱلْفِرَاشِ أَمُدُّ أَنَا رِجْلِي

Secundum quantitatem (siue longitudinem) *lecti extendam ego pedem meum.* Plane conuenit cum nostro: *Efter sit Dekke enhver sig maae strekke.*

Dispar ratio est dicti prouerbialis *Ies. XXVIII,* 20. pro indicanda inopia consilii, rerumque statu acciso & angusto.

CCLXXXVII.

عَلَى كُلِّ بَلْوَةٍ عَوْنٌ

Contra omnem adflictionem auxilium est. Formula, qua Deum laudant, quod, cum adfligit, patientiam quoque et cetera media ad perferenda mala subministret.

CCLXXXVIII.

عَلَيْهِ مَقْلٌ يَنْزَحْلَقُ عَنْهُ ٱلْكُلَّابُ

Super eo est *circulus oculi* (uel oculus), *impellitur ab eo fuscina*, (uel harpago.) Dicitur de iuuene audace ac perfrictæ frontis uiro.

I. e. Habet oculum talem, quo impelli queat fuscina. Aliud *oculus irretortus*, in laude positus HORATIO *Od. II,* 2, 23. زحلق pro زحلف GOLIVS refert ad dialectum *Temimitarum.*

CCLXXXIX.

عُمْرًا عِزْرَآيِيلُ مَا يُخْرَبُ لَهُ بَيْتٌ

Numquam Izraëli destruetur domus. Vide prou. CCLXXIX.

CCXC.

عُمْرًا قَسَّامٌ مَا دَخَلَ ٱلْجَنَّةَ

Nun-

Nunquam distributor (i. e. is qui diuidit in partes & distribuit) *intrauit in paradisum:* quia plerumque accidit, ut ii, qui sortiuntur, sibi ipsis faueant, & meliora eligant. Notandum, quod عسى ad uerbum significet *ætas;* sed in contextu sæpe pro *nunquam* (*a*) adhibeatur, plane ut gallicum *de sa vie.*

(*a*) Nempe ubi additur particula negatiua. Nam alioqui denotat *umquam.* الجنّة stilo coranico, absolute, pro *paradiso.*

CCXCI.

إِعْمَلْ خَيْرًا وَٱرْمِهِ فِي ٱلْبَحْرِ عِنْدَ ٱللّٰهِ يَبْيَانْ

Fac bonum, & proiice illud in mare; apud Deum apparebit. Formula, qua suadent benefacere omnibus, etiam ignotis; & non esse sollicitos, utrum par referant, nec ne.

Nonne hinc illustrari potest, aut omnino debet, gnome Salomonæa *eccles. XI,* 1. De τῷ ب uitioso ante futura, dictum alibi, يبيان futuri forma lexicis ignota.

CCXCII.

يَعْمَلُ ٱلسَّيْفُ مَا لَا يَعْمَلُ ٱلْقَلَمْ

Facit gladius quod non facit calamus. i. e. Silent leges inter arma.

Mihi uidetur encomium esse artis militaris, ut quæ antecellat studio litterario, citiusque ac certius cultores suos ad dignitates, opes & nominis celebritatem euehere credatur.

CCXCIII.

ٱلْعَيَّانْ يُطْعِمُ ٱلْبَطَّالْ

Laborans cibat uacantem (s. a labore cessantem.) Qui prospera utuntur fortuna, debent auxilio esse penuria laborantibus, cum non sint auctores sui infortunii, sed casu illud euenit. Generaliter: alii aliis prodesse tenemur.

Non nego, explicari prouerbium hoc posse in istam sententiam. Tum *laborans* est is, qui habet quod agat & unde quæstum faciat, eoque nomine felix est; uti contra infelix ille, cui non datur occasio comparandi uictum, quantumuis laborare uelit, quique adeo *uacans* est nulla sua culpa. Quid uero, si sic interpreteris: uiliorum hominum (e. g. rusticorum) sudore ac labore fortunæ aliorum, opibus & otio affluentium, augentur?

CCXCIV.

إِعْمَلْ نَصْفَ عَاقِلٍ وَنَصْفَ مَجْنُونٍ

Gere te partim ut *sapiens*, & *partim* ut *stultus*. Medium ubique seruandum; præsertim in rebus, quæ in deliberationem ueniunt.

Legendum forte نَصْفًا عَاقِلًا & نَصْفًا مَجْنُونًا.

CCXCV.

أَلْعَمَاءُ وَلَا هٰذَا ٱلنَّظَرُ

Coecitas & non hic uisus. Arabismus est; pro quo diceres latine: *potius coecitas, quam hic uisus.* Conuiciandi formula, in eos, qui, dum aliquid inuentu facile quærunt, non statim id aspiciunt; & in eos, qui uisum imbecillem habent, eoque se decipi patiuntur, præsertim in monetis accipiendis.

CCXCVI.

عِنْدَ ٱلضِّيقِ لَا أَخٌ وَلَا صَدِيقٌ

In angustia, nec frater nec amicus est. Conf. *prou. I.*

CCXCVII.

يُعْنِي رَآيِحٌ يَعْطِلُ ٱلْكَوْنُ لِأَجْلِهِ

Id est, (latine *Scilicet!*) *cessatura est rerum existentia ob illum!* Formula, qua significant, se carere posse eius ope, qui nimium sibi arrogat, & aliorum proposita respuit.

Vide superius prou. CLXXXVI.

CCXCVIII.

عَوِّدْ كَلْبًا وَلَا تُعَوِّدْ بَنِي آدَمْ

Assuefac canem, nec assuefacias homines. Quia scilicet, si homini aditus ad nos pateat, æquitate nostra per nimiam frequentationem abusus, tandem fiet molestus.

CCXCIX.

ٱلْعَادَةُ بَخْسَةٌ

Habitus est aliquid *sordidum.* Hac formula malos habitus simul accusant & excusant.

CCC.

ٱلْعَادَةُ طَبِيعَةٌ خَامِسَةٌ

Habitus est *natura quinta;* i. e. elementum nouum, accedens ad quatuor reliqua elementa, quibus homo (*a*) constat. Conuenit cum dicto vulgari: *consuetudo est altera natura.*

(*a*) Immo animata corpora omnia, ex arabum philosophorum doctrina. Sunt autem illa elementa *terra*, *aqua*, *ignis* & *aër*. Vid. *epistol. Abi Jaafar Ebn Tophail* passim, e. g. p. 131. *sqq.*

CCCI.

أَعُوذُ بِٱللَّهِ مِنَ ٱلشَّيْطَانِ ٱلرَّجِيمِ

Confu-

Confugio ad Deum auerruncum *a Satana execrando.* Initium precationis in Corano. (*a*) Et usurpatur in eos, qui importune aliquid efflagitant.

(*a*) Conf. *Sur. III,* 36. *Marracc.* Recurrit sæpius epitheton illud Satanæ رجيم (e. g. *Sur. LXXXI,* 24.) quod proprie *lapidatum* s. *lapidandum* notat; (ex רגם hebræo:) uid. HERBELOT. *p.* 308, *a.* Respicit autem ritum quemdam peregrinationis Meccanæ, quo lapides septem proiiciunt contra diabolum in ualle *Mina;* (MARRACC. *prodr. P. IV. p.* 86, *b.* & *refutat. p.* 112, *a.*) quique arabibus in more fuisse dicitur iam tum ante Mohammedi ætatem; uid. POCOCK. *specim. hist. Arab. p.* 311.

CCCII.

أَعُوذُ بِاللّٰهِ مِنَ الْغَرِيبِ إِذَا تَبَلَّدَ وَمِنَ الْفَلَّاحِ إِذَا تَجَنَّدَ ۞

Confugio ad Deum (i. e. protegat me Deus) *a peregrino, cum ciuis euadit, & ab agricola, cum factus est miles.*

Sensu conuenit, quod CLAVDIANVS *in Eutrop. I,* 181. dicit: *asperius nihil est humili quum surgit in altum.* Et germanorum hoc: *Es ist kein Schwerd, das scharfer schiert, Als wenn der Bauer ein Edelmann wird.* Nimirum ferociores fiunt & insolescunt fere, quibus fortuna nimis fauet.

CCCIII.

أَعُوذُ بِاللّٰهِ مِنْ كَيْدِ النِّسْوَانِ ۞

Confugio ad Deum a machinatione mulierum.

Nos dicimus: *Quinde-List er uden Ende.*

CCCIV.

أَعُوذُ بِاللّٰهِ مِنْ نَكَبَاتِ الدَّهْرِ ۞

Protegat me Deus ab infestis casibus fortunæ!

Ultro patet, formulam esse, qua deprecantur aduersa fata.

CCCV.

أَعْوَرُ وَصَيْرَفِيٌّ ✿

Luscus est & *mensarius*. Dicitur de iis, qui artem aliquam exercent, ad quam non sunt idonei.

CCCVI.

(a) أَلْعِيرَةُ مَا بَتُدَفِّي وَإِنْ دَفَّتْ مَا بَتَدُومْ ✿

Mutuo accepta vestis *non calefacit; aut, si calefecerit, non durabit.* Exprobratio mutui, quo quis gloriatur.

(a) Legendum putem أَلْعَارِيَةُ, quam vocem ex interprete Arabe *Sirac. XLI,* 25. notauit CASTELLVS. Cæterum heic بَتُدَفِّي pro تَدَفِّي ponitur. Et recurrit τὸ بِ ante futura, de quo sæpius monui.

CCCVII.

أَلْعَيَّارُ مَا يَأْكُلْ إِلَّا مِنْ كِيسِهِ ✿

Vir vafer non edit nisi ex crumena sua. Quia sæpe accidit, ut astuti præ nimia vafritie decipiantur ipsi.

CCCVIII.

أَلْعَيَّارُ يَقَعْ عَلَى رَاسِهِ ✿

Vafer cadit in caput suum. Est arabismus: quasi diceres *decipitur.* Dehortantur hac formula eos, qui callide negotia cum aliis videntur tractare.

CCCIX.

أَلْعَبَارَةُ دَوَآءٌ ❂

Necessitas (inopia) *est remedium.* Contra mollitiem & luxuriam.

Nempe paupercula & frugalis vita multos auertit morbos, viresque ac sanitatem corporis conseruat & auget. An (quia in radice τὸ *Vau* mobile est) legendum أَلْعَوْزَةُ vel أَلْعَوَزَةُ ?

CCCX.

أَلْعَوْضُ عَلَى ٱللّٰهِ ❂

Retributio super Deo est, i. e. Deo incumbit. Sic consolantur iacturam patientes.

CCCXI.

أَلْعَوَضُ عَلَى ٱللّٰهِ ٱلَّذِي خَلَّفَ مَا مَاتَ ❂

Retributio apud Deum est; *qui successorem reliquit, non mortuus est* vel *censetur.* Sic consolari solent liberos de patre defuncto.

In utraque sententia hac possis etiam legere أَلْعِوَضُ eodem sensu. Ceterum conf. N. CCCCXIII.

CCCXII.

أَلْعَيْنُ بَصِيرَةٌ وَٱلْيَدُ قَصِيرَةٌ ❂

Oculus est perspicax, & manus est breuis. Sic se excusant, qui miseriam alterius, quamuis sibi perspectam, subleuare nequeunt, præ virium defectu,

CCCXIII.

أَلْعَيْنُ مَا تَشْبَعُ مِنَ ٱلنَّظَرِ
وَٱلْأُذُنُ لَا تَمَلُّ مِنَ ٱلسَّمْعِ ۞

Oculus non satiatur a visione, & auris non capit tædium ab auditione. Formula, qua dehortantur a nimia curiositate.

Eccles. I, 8. לא תשבע עין לראות ולא תמלא אזן משמע

CCCXIV.

أَلْعَيْنُ مَا تَعْلَي عَلَي ٱلْحَاجِبِ ۞

Oculus non eleuat se super supercilium. Unicuique suus seruandus est locus, neque cum iis, qui præstantiores sunt, temere certandum.

حاجب *cilium* potius esse, quam *supercilium*, monuit ALB. SCHVLTENS *ad Iob. III*, 9.

CCCXV.

عَيْنِي فِيهِ وَتُغُّوا (a) عَلَيْهِ ۞

Oculus meus in eo est; (i. e. maxime hoc cupio;) *& tamen phuy ipsi!* Dicitur in homines inconstantes, qui quid velint nesciunt, aut qui ea se despicere simulant, quæ maxime desiderant. Vocula (*a*) تغوا vulgaris & fictitia est, a sono, qui inter spuendum editur, deducta; vel forte corrupta a voce - - - - - (*b*).

(*a*) Rescribendum procul dubio تُفُّو.

(*b*) An hebræam תֹּפֶת in animo habuit vir perillustris? quatenus adpellativum vocabulum hoc (alias proprium nomen, loci alicuius Hierosolymis vicini) fuit, ut *Iob. XVII*, 6. ubi ותפת לפנים אהיה omnino vertendum *& exspuitio in faciem*

ctem sum, i. e. (metonymico nimirum sensu,) is sum in cuius faciem exspuunt. Radix תוף *exspuere* superest apud talmudicos, videturque esse ὀνοματοποιητική. Quum tamen certum sit, sæpe verba ע״ו cum *geminantibus secundam radicalem* commutari, hactenus utique cum hebræo illo conferri poterat arabicum تَفًّا, e radice تَفَّ.

CCCXVI.

عَيْنٌ لَا تَتْغْشَعُ قَلْبٌ لَا يَحْزَنُ

Oculus non videt, cor non tristatur. Adhortatio ad euitanda obiecta, quæ tristitiam nobis creare possunt. Ipsissimum nostrum est *Hvad Øynene ikke see, det giör Hiertet ikke Vee.*

CCCXVII.

عَيْنُكَ مَعَكَ وَدِرْهَمُكَ مَعَكَ
وَإِنْ وُقِعْتَ اللَّهُ لَا يَرْحَمُكَ

Oculus tuus tecum & pecunia tua tecum est; *quodsi deceptus fueris, Deus non miserebitur tui.* Sic solent mercatores prouocare ementes quum eorum merces diu examinant.

CCCXVIII.

عَيْشَةٌ مُرَّةٌ وَعُمْرٌ طَوِيلٌ

Vita amara & ætas longa. Querimonia de statu misero & de tarditate mortis.

CCCXIX.

عَائِشٌ مِنْ قِلَّةِ الْمَوْتِ

Viuens ob penuriam mortis. Dicitur de iis, qui vitam omnibus modis miseram ducunt, & morte nihil carius habent, neque tamen moriuntur.

GAIN.

GAIN.

CCCXX.

لِغَدٍ رَبٌّ غَدِيٌّ

Ad craſtinum dominus craſtini. Senſus conuenit cum illo euangelii dicto: *nolite eſſe ſolliciti de die craſtino.*

CCCXXI.

أَلْغَرِيبُ أُذْنُهُ مُدَوَّدَةٌ

Peregrinus habet vermes in auribus. Forte ob ſordes. Non facile dixerim, quo vel ſententia hæc ſpectet, vel viri perilluſtris coniectura; neque capio ſatis, quid commune habeant cum vermibus aurium ſordes. Exiſtimem potius, eſſe dehortationem a peregrinationibus ſuſcipiendis; ſiue, quod peregrini multa de ſe iudicia iniqua experiantur, quæ, tamquam totidem vermes, aures eorum rodunt; ſiue quod ſæpe technarum atque machinationum ſuſpecti habeantur: quo modo conferri poſſet noſtra phraſis *at have Fluer bag Örene.* Certe quæ ſeqvuntur ſententiæ ſex proximæ, omnes peregrinationem diſſuadent, ob eius incommoda varia.

CCCXXII.

أَلْغَرِيبُ غَرِيبٌ وَلَوْ كَانَ عِنْدَ أَهْلِهِ

Peregrinus eſt *peregrinus, etiamſi degat apud affines ſuos.*

CCCXXIII.

أَلْغَرِيبُ مَتْهُومٌ

Peregrinus ſuſpectus habetur.

CCCXXIV.

أَلْغَرِيبُ مَحْقُورٌ فِي كُلِّ مَكَانٍ

Peregrinus ſpretus eſt *in omni loco.*

CCCXXV.

اَلْغَرِيبُ أَعْمَي وَلَوْ كَانَ بَصِيرْ ☸

Peregrinus est coecus, etiamsi visu sit praeditus, i. e. interprete semper indiget.

CCCXXVI.

اَلْغُرْبَةُ تُذِلّْ ☸

Peregrinatio humiliat hominem.

CCCXXVII.

اَلْغُرْبَةُ كُرْبَةْ ☸

Peregrinatio moeror est. Contra peregrinationem.

CCCXXVIII.

اَلْمَغْلُوبْ مَا يَشْبَعْ غُلُوبَةْ ☸

Victus (nempe in ludo) *non satiatur victoriis suis*, quas scilicet alii ab ipso reportant. Quanto plus aliquis in ludo amittit, tanto magis cupiditate ludendi exardescit, quasi aduersarii victoria vehementius concitatus.

CCCXXIX.

غَنَمْ وَلَوْ طَارُوا ☸

Oues sunt, *etiamsi volarent.* Dicitur in rusticos & hebetis ingenii homines, qui mentem aliorum, licet clare exposita sit, capere nequeunt.

CCCXXX.

غِبْ عَنِ ٱلْعَيْنِ وَيَسْلَاكْ خَاطِرْ ☸

Abesto ab oculo, & obliuiscetur tui animus. Exprobratio illorum, qui absentem amicum facile obliviscun-

viſcuntur. Et (ſic) fugam ſuadent iis, qui crimen aliquod commiſerunt; ut ſcilicet eorum (alii) obliuiscantur.

CCCXXXI.

أَلْغَائِبُ عُذْرُهُ مَعَهُ ۞

Abſens; excuſatio eius (a) *cum ipſo;* i. e. non poſſumus tarditatis abſentem accuſare, quia cauſſam ignorámus, donec ſe præſentem ſtiterit & eam declarauerit.

(a) Pro: *abſentis excuſatio* penes ipſum eſt, vel cum ipſo venit.

FE.

CCCXXXII.

أَفْرَاخُنَا يَرْزُقُونَا ۞

Pulli noſtri cibant nos. Querimonia ſeniorum contra iuniores, quando eosdem aliquid docere contendunt.

CCCXXXIII.

أَلْفَرَسُ أَلَّذِي (a) نَزَلْتَ عَنْهَا
دَعِ (b) أَلْقَوْمُ يَرْكَبُهَا ۞

Equa, ex qua deſcendiſti; ſine, ut unusquisque *populus conſcendat eam.* (c) i. e. Quando ſemel de aliqua re deſtiterimus, ne ulterius de ea ſimus ſolliciti.

(a) Analogia poſtulat, ut legamus ألتي.

(b) An reſcribendum دَعْ أَنْ ?

(c) Verſio nimis arabizat. Senſus: *ſine, ut* deinde *quilibet alius conſcendat equam* illam, *ex qua* tu iam *deſcendiſti*, nec proinde amplius ea uteris vel opus habes.

CCCXXXIV.

CCCXXXIV.

فَارِق (a) ٱلْبَدَوِيِّ (b) بِعَبَاءَةٍ قُلْ
بِسُوقِ ٱلْعَبِي (c) كُلِّهِ

Separatio ab Arabe *ſcenita* conſtat *togâ*. *Dic*: vel *toto foro togarum* eam emerem. Nulli rei parcendum eſt, modo nos liberemus a malis hominibus. Toga vero, de qua hic agitur, eſt ea, quæ ex lana diverſo colore tincta & ſtriatim intexta conficitur, quam maxime amant Arabes deſerti incolæ.

(*a*) Lego فُرَاقْ vel فَرَاقُ. Et (*c*) ٱلْعَبَآءِ.

(*b*) *Beduinos* itineraria vocant, infames latrociniis homines, per campos, nullis ſedibus fixis, vagantes.

CCCXXXV.

فَقِيرٌ وَنَقِيرٌ وَزُبُّهُ كَبِيرٌ

Pauper eſt *&* *indigus*, *ſed penis eius magnus*. Dicitur in eos, qui, utut pauperes ſint, ſumtus tamen magnos faciunt & genio indulgent æque acſi eſſent maxime diuites.

CCCXXXVI.

أَلْفَلَّاحُ فَلَّاحٌ وَلَوْ تَعَشَّي
مِنَ ٱلْعُصْرِ

Ruſticus manet *ruſticus*, *etiamſi tempore pomeridiano* (hora ſequiquinta) *coenauerit*. Hac quippe hora nobiliores apud orientales coenare ſolent; vulgus, propter occupationes, ſerius.

CCCXXXVII.

CCCXXXVII.

أَلْفَلَّاحُ جَوْعَانُ وَٱلْحَائِكُ
عُرْيَانٌ وَٱلْإِسْكَافِيُّ حَافِي
وَٱلطَّبَّاخُ مَا يَشْبَعُ مَرَقَةً ✿

Agricola laborat fame; textor nudus eſt; *calceolarius nudipes; coquus non ſaturatur iuſculo.*

Vellem explicaſſet prouerbii huius uſum vir perilluſtris. Poteſt eorum querela eſſe, qui e moleſtis operibus ſuis vix habent unde viuant. At forſan potius illos reprehendit qui ex auaritia frui nolunt rebus iis, quarum tamen copia illis ſuppetit.

CCCXXXVIII.

أَفْلَسَ ٱلْجُنْدِيُّ بَدَأَ
يُفَتِّشُ (a) ٱلدَّفَاتِرَ (b) ✿

Ad inopiam redactus eſt armiger; (c) *incipit perquirere rationum codices* veteres. Dicitur in eos, qui obliterata debita repetunt.

(a) Pro أَنْ يُفَتِّشَ. (b) Eſt græca vox διφθέρα in orientem translata. Unde in aula turcica ſupremus rationum magiſter دفتردار *Deſterdâr* adpellatur. (c) Nempe *miles.*

CCCXXXIX.

أَلْمُفْلِسُ فِي ٱلْقَفَلِ مَامِن (a) ✿

Pauper inter ſotios itineris ſecurus eſt. Accedit huic: *cantabit vacuus coram latrone viator.*

(a) Secundum litteras has legendum foret مُوَمِّن Proprie: *dicit Amen!* Sed mendoſa ſcriptio videtur, pro آمِن.

CCCXL.

بفلس كبريت لا ينفخ ولا تتعب ☼

Obolo sulphur comparare potes; (*a*) *non inflas, neque defatigaris.* Non laborandum in iis rebus, quas vili pretio nobis comparare possimus.

(*a*) Potius (ob vocis arabicæ nominativum casum) *parabile est.* Sulphuris nomen hoc * arabicum in forma sua peregrinitatis aliquam notam præ se fert. Malim autem cum CASTELLO ex hebr. גָּפְרִית, quam cum GOLIO ex persica voce *Ghûgurd* id deriuare. Eadem litterarum mutatione כּוּבְרִית vel כִּבְרִית chaldaice dicitur. Ceterum (quod ex verbis *non inflas neque defatigaris* intelligitur) proprie heic sermo est de sulphure non natiuo, sed factitio; quod scilicet excoquitur per ignem.

* Aeque ac alterum أبيرون de quo legatur GOLIVS. Nempe videtur Arabibus antiquis ignotum fuisse cum usu sulphuris ipsum nomen: quod postea geminum in linguam suam inuexerunt; alterum a græcis edocti, alterum a iudæis, sed chaldaico more id pronuntiantibus. Sic peregrinitas nominis huius non pugnat cum *hypothesi* illa verissima, quod (generatim loquendo) arabica lingua hebrææ veteris tamen vel filia, vel soror sit.

CCCXLI.

بفلس كرفس ولا أهينك يا نفس ☼

Obolo apium comparare potes, (*a*) *neque despiciam te o anima!* Non esse precario sumenda quæ parui emere possumus.

(*a*) Melius: *parabile est;* ut monui ad proximam sententiam. Ceterum ab arabico verbo هون repetendam esse originem vocum germanicarum *Hohn*, *höhnen*, *verhöhnen*, (ac consequenter etiam nostrarum *Haanhed*, *at forhaane*,) dudum coniecit HINCKELMANNVS in doctissima *præfatione Corani* sui.

CCCXLII.

CCCXLII.

فَارَةٌ مَا وَسِعَهَا بَخْشُهَا

سَحَبَتْ وَرَآءَهَا مِرْزَبَّةً

Mus; non continuit eum foramen eius: traxit post se magnum malleum. Dicitur in eos, qui necessaria vix possident, & tamen magnum apparatum adfectant.

Subnotauit ad prouerbium hoc vir perillustris, *vulgare plane* vocabulum esse بخش *foramen:* eoque magis mirum, id in lexicis desiderari, ut monui ad *prov. LXX.* Ceterum arabica est syntaxis *mus - - eum,* pro: *murem.*

KAF.

CCCXLIII.

أَلْقَحْبَةُ اِذَا تَابَتْ جَعَلَتْ معرصة

Meretrix si poenitentiam agit, facit se *lenam.*

Postremæ vocis litteras, quales in codice meo sunt, religiose exhibui. Est autem ea mihi quidem prorsus ignota; eaque de caussa vocales nullas addidi. Nil facile vel sub عرص vel sub عرض aut غرض occurrit, quod heic commodum sit. An itaque vocabulum illud prouinciale fuerit ac *damascenis* præsertim usitatum? (Conf. *p.* 17. 18. not. de voce تعريص) aut omnino recentioris usus, sicut alterum illud قحبة quatenus id *meretricem* significat? Porro apud hebræos quidem sæpe in actiuis verbis pronomen reciprocum subauditur; at apud Arabas non item. Quapropter legi possit passiue جُعِلَتْ *fit, efficitur,* lena. Aut, si معرصة *lenocinium* sit potius, quam *lena;* retento جَعَلَتْ verte: *instituit lenocinium.* Ceterum indicare sententia hæc videtur, quod post longam peccandi consuetudinem emendatio vitæ seria exspectari vix queat.

CCCXLIV.

أَلْقَرَارُ مِنَ ٱللِّسَانِ ✡

Confirmatio est ex lingua. Quasi diceres ad aliquem: ipse dixisti & promisisti.

Videtur itaque formula esse, qua, standum verbis, monentur qui aliquid promiserunt.

CCCXLV.

قَرِّبْ مَنْ قَرُبَ مِنْكَ وَبَعِّدْ
عَنْ مَّنْ بَعُدَ عَنْكَ ✡

Accede ad eum (a) *qui accedit ad te, & discede ab eo* (b) *qui discedit a te.* Sensus est; cum iis potissimum ineundam esse societatem, quorum facilis est accessus, & qui humaniter nos excipiunt.

(a) Proprie, vi coniugationis, *accedere fac*, i. e. in societatem atque amicitiam tuam admitte, *eum* κ. τ. λ.

(b) Vi coniugationis vertendum fuisset *discedere fac eum* κ. τ. λ. Sed tunc omittendum fuisset τὸ عَنْ quod sequitur proxime. An itaque legendum potius وَأَبْعِدْ *& discede?*

CCCXLVI.

قَتِيلُ ٱلشَّرْعِ لَيْسَ بِقَتِيلٍ ✡

Occisus iustitiæ (i. e. ex sententia (a) iudicis) *non est in occisis* (b) censendus. Moritur enim iuste. Dici solet ab iis, qui lites priuatim componi recusant, & rem ad iudicem deferri pertinaciter contendunt.

(a) Eum similiter הֲרוּג בֵּית דִּין talmudistæ adpellant.

(b) Potius: *non* est *occisus* censendus; eleganti usu præfixi ب illo, quo nominativum qualitatis circumscribit.

CCCXLVII.

قعي الجدي ولا سواد العنقود

Balatus capræ, nec (a) nigredo botri! Formula, qua desiderant vernum (tempus,) in quo capreolæ nascuntur, illudque præferunt autumno, in quo uvæ maturescunt.

(a) i.e. *potius quam.* الجدي *boedus* est, hebr. גדי. قعي mihi ignotum. Alias balatus ثاج, ثواج, ثغاء dicitur.

CCCXLVIII.

القلة تعمي القلب

Indigentia excoecat mentem. Excusantur infortunati, quod minus sint perspicaces, ad inuenienda media, quibus se a miseria vindicent.

CCCXLIX.

القلة قيد العفارتة (a)

Penuria est catena gigantum.

Indicat, ni fallor, prouerbium, succumbere tandem necessitati debere quantumuis fortissimos viros. Nescio, an in mendo cubet vox postrema. Mihi quidem suspecta est. Num legendum العفارية? quæ vox, GIGGEIO teste, *leonem fortissimum validissimumque* significat, & hinc, facili tropo, transferri potest ad gigantem inuictumque heröem: qualis etiamnum *Arabibus* ac *Persis leo dei* vocatur, ut hebraice olim אריאל 2 *Sam. XXIII,* 20. 1 *chron. XI,* 22.

CCCL.

القنوع غناء

Contentum esse paucis est *diuitiæ.* Simile huic gallicum illud: *contentement passe richesse.*

Vide sententias arabicas *Erpenii n. XL. LXXII. LXXV.*

CCCLI.

قُلْ آمِين ۞

Dic Amen! Formula, qua amici confabulantes iubentur assentiri iis, quæ dicta sunt, vel mox dicenda; siue in bonam partem vergant, siue in malam.

CCCLII.

قَالْ سَمَكْ الْبُنِّي إِنْ لَقِيتْ أَحْسَنْ مِنِّي لَا تَاكُلْنِي ۞

Dixit piscis Bunni: si vidisti meliorem me piscem, *noli me edere.* Formula, qua hunc piscem, ut reliquis omnibus excellentiorem, extollunt: (Est vero is forma alosæ, sed paullo maior, & multo delicatior ac salubrior:) & qua mercatores merces suas iactitant.

CCCLIII.

تَقُولْ لِلْقَمَرْ قُمْ حَتَّى أَقْعُدْ مَوْضَعَكْ ۞

Dicit formosa puella *lunæ: surge, ut sedeam loco tuo.* Formula qua pulchritudinem alicuius puellæ exaggerant.

Hinc frequens *lunæ* mentio in nominibus feminarum orientalium.

CCCLIV.

قَالْ قُومْ (a) حَتَّى أَقُومْ مَعَكْ مَا قَالْ نَامْ (a) حَتَّى أَطْعَمَكْ ۞

Dixit Deus: *surge, ut surgam tecum*, i. e. ut concursu meo te iuvem. *Non dixit: dormi, ut cibem te.* Laborandum est, nec otiosi debemus confidere prouidentiæ.

(a) Rectius قُمْ & نَمْ.

CCCLV.

CCCLV.

قَالُوا ٱلْكَذِبُ أَنْجَى بَلِ ٱلصِّدْقُ أَنْجَى وَأَنْجَى ۞

Dixerunt; mendacium magis ſalutiferum eſt. *At vero veritas magis ſalutifera & magis ſalutifera* eſt.

Veritati ſtudendum in omnibus. Poſtremæ vocis repetitio certitudinem omnimodam quocumque reſpectu ſignificat.

CCCLVI.

قَالُوا مَا مُتَّ مَا قُشِعْتَ مَنْ مَاتَ ۞

Dixerunt: non quidem *mortuus es.* At *non vidiſti qui mortuus ſit?* Formula, qua reprehenduntur, qui de ægroto confidenter nimis aſſerunt, eum extra periculum eſſe. Eſt & exhortatio, ut aliorum caſibus & periculis potius, quam noſtra experientia, cautiores reddamur.

KEF.

CCCLVII.

كُبَّ ٱلْجَرَّةَ عَلَى تُمِّهَا ٱلْبِنْتُ تُطْلِعُ لِأُمِّهَا ۞

Inuerte hydriam ſuper os ſuum, filia accedet ad matrem ſuam, i. e. ei ſimilis erit.

Neſcio prouerbii huius uſum. تُمّ *os* vid. No. 92. & 251. Adde 472.

CCCLVIII.

أَكْبَرُ مِنْكَ بِسَنَةٍ أَعْرَفُ مِنْكَ بِمَايَةِ عَامٍ ۞

Maior

Major te uno anno doctior te centum annis. Parendum esse consiliis seniorum, utpote magis expertorum.

CCCLIX.

أَلْكِبْرَةُ مِنَ ٱللّٰهِ وَٱلصِّغَرُ مِنَ ٱلشَّيْطَانِ ۞

Magnitudo (grandæuitas) *a Deo* est, *paruitas vero a Satana.* Dicitur in eos, qui ætatis suæ annos celant, vel ab iis, qui senes se esse ingenue fatentur.

CCCLX.

إِسْتَكْبِرْهَا وَلَوْ أَنَّهَا مُرَّةٌ ۞

Elige magnum; etiamsi esset amarum.

Nescio quo valeat. Nos contra dicimus: *det er ikke alt godt hvad som stort er.* At forsan id vult sententia arabica, enitendum esse ad maxima quæque, licet ardua ea sint.

CCCLXI.

أَلْمَكْتُوبُ يُبَانُ مِنْ عُنْوَانِهِ ۞

Epistola noscitur ex inscriptione sua. Sola aliquando indicia nos ad iudicandum determinant, & ex apparatu exteriori de rebus & personis iudicium fertur.

CCCLXII.

مَكْتُوبٌ عَلَى ٱلْمُعْتَرِّينَ خَزَاينُ مَشْيِ ۞

Scriptum est *super* (i. e. prædestinati sunt) *miseris thesauri ambulationum* i. e. multi labores & itinera. Ultro patet, esse querelam de pauperum vita aerumnosa.

CCCLXIII.

CCCLXIII.

كَثُرَتِ ٱلْأَيَادِي ٱحْتَرَقَ ٱلطَّعَامُ ۞

Multiplicatæ sunt manus, adustus est cibus. Vid. supr. prov. XXI.

CCCLXIV.

ٱلْكَثْرَةُ نَتْنَةٌ ۞

Multitudo est *foetor.* In conuiuiis pauci admittendi sunt.

CCCLXV.

ٱلْكَسَلُ مَا يَجْلِبُ عَسَلًا ۞

Pigritia non adfert mel. Segnities nulli dulcia mella feret.

CCCLXVI.

ٱلْكِشْكُ إِذَا بَاتَ صُبْحًا شَرَابَاتٌ
وَٱلرُّزُّ إِذَا بَاتَ كُبَّهُ فِي ٱلْخَرَابَاتِ ۞

Cibus *Kisch si pernoctauerit,* (si post unam noctem reliqvus fuerit,) *matutino tempore* fiet *medicina:* (a) *oryza vero si pernoctauerit, eiice illam in parietinas.* Hoc dicto excellentiam τοῦ *Kisch* extollunt, qui sic confici solet: triticum (b) aqua elixum vel coctum soli exponunt, & siccatum leviore lapide molunt; (quod tunc *Burgol* (c) vocant;) tum illud in aquam frigidam coniiciunt, ubi madefit per quindecim dies; deinde affuso lacte subigunt instar farineæ massæ, ac in minutas partes concisum soli iterum exponunt & siccatum domi condunt in usum hiemalis temporis. Variis autem modis coquitur, & multum ad valetudinem conducere putatur.

(*a*) In lexicis vox arabica *syrupos* denotare dicitur. Pro τῷ *fiet* dicere malim *adhuc erit*, vel *adhuc est*. Nempe, cibus *Kisch* de suaui sapore ac salubritate sua nil quidquam amittit, licet per noctem superfuerit.

(*b*) *Hordeum* heic pro *tritico* nominant lexicographi, RAPHELENGIVS, GIGGEIVS, GOLIVS, CASTELLVS. Et *memorant* utique libri Arabum كشك الشعير *Kisch bordeaceum*. At rursus ل

(*c*) τὸ *Burgol* (برغل ac برغول) GOLIVS atque CASTELLVS *alicam triticeam* interpretantur, non *bordeaceam*. Videntur itaque orientales parare ex utroque genere cibum illum, quem (ni fallor) Mauri *Kuschkusch* adpellant. De τῷ *Burgol* iterum vid. *N. CCCCXVIII.*

CCCLXVII.

كَلْبٌ دَايِرٌ وَلَا سَبْعٌ مَرْبُوطٌ ✱

***Canis circumiens melior** est **quam leo ligatus**.* Formula, qua suadent homini, ut victum hinc inde potius quærat cursu & labore, quam domi torpescat.

CCCLXVIII.

أَلْكِلَابُ تَفْرَحْ بِتَقَرْمُشْ أَلْعِظَامْ

وَأَمَّا عِنْدَ أَلْخَرَا تُنْشَرُطْ طِيزْهَا ✱

Canes delectantur in rodendis ossibus, at vero inter cacandum dilaceratur anus eorum. Qui genio indulgent neque finem respiciunt, poenas luunt.

De τῷ طيز vid. *p.* 81. 116.

CCCLXIX.

أَلْكَلْبُ أَلَّذِي مَا يَمْضِي لِلصَّيْدْ

إِلَّا بِشْبَاقْ (*a*) مَا يَجْلِبْ غَنِيمَةْ ✱

Canis

Canis qui non abit venatum nisi cum loro, non adferet prædam. Nisi quis alacriter & libenti animo negotium aliquod aggrediatur, nemine vel hortante vel cogente, nunquam id ad felicem exitum perducet.

(a) بشناق lege. Ceterum subnotauit vir perillustris, pro ultimis huius adagii verbis etiam dici بُيُسْ مِنْهُ *phui, ei!* Usitatius dixeris بِيُسُّهُ vel بَيْسَهُ.

CCCLXX.

كَلْبٌ مَا يَهْرَبْ مِنْ عُرْسٍ ✻

Canis non fugit a nuptiis. Dicitur in parasitos.

CCCLXXI.

كُلُّ دِيكٍ عَلَى مَزْبَلَتِهِ صَيَّاحٌ ✻

Omnis gallinaceus super fimeto suo cantat. Quilibet domi suæ auctoritatem suam manifestat.

Conuenit latinum illud: gallus in suo sterquilinio plurimum potest. صَيَّاح proprie *clamosus* (est.)

CCCLXXII.

كُلُّ ٱلدُّيُوكِ نَكْدَكُونِي

بَقِيَ عَلَيَّ أَبُو قُنْبُرَة ✻

Omnes gallinacei titillarunt (a) me, restat mihi alauda. Dicitur, cum quis a maioribus & præstantioribus derisus vel illusus, ab æquali vel inferiori lacessitur.

(a) *Rostris vellicarunt.* In lexicis verbum hoc quadrilitterum omissum.

CCCLXXIII.

كُلُّ دَقْنٍ وَلَهَا مُشْطٌ ۞

Unicuique barba pecten suus proportionatus est. i. e. Suus cuique honor tribuendus.

CCCLXXIV.

كُلُّ شَيْءٍ آفَتُهُ مِنْ جِنْسِهِ حَتَّى الْحَدِيدُ أَسْطَا عَلَيْهِ الْمِبْرَدُ ۞

Cuiusvis rei pernicies ex ipsa (*a*) est, *adeo quidem ut in ferrum ipsum dominetur lima.*

(*a*) Proprie: *ex ipsius genere*. Adagii usus mihi non satis liquet. Nec enim sufficere videtur sensus generalis hic: nil in tota rerum natura stabile, sed cuique rei semina & materiam corruptionis suæ inesse. Sine dubio specialius quid in sententia illa latet. Conf. inferius *prouerb. CCCCVI.*

CCCLXXV.

كُلُّ شَيْءٍ تَزْرَعُهُ يَنْفَعُكَ إِزْرَعْ بَنِيَّ آدَمْ يَقْلَعُكَ ۞

Quidquid seminaueris, proderit tibi: Sere hominem, eradicabit te. (Est in editis, sed paullo immutatum.) Nempe inter sententias *Erpenianas*, n. X. Ceterum pro بَنِيَّ malim بَنِي pluraliter, *homines*; ac deinde, *eradicabunt.*

CCCLXXVI.

كُلُّ شَيْءٍ عَلَى بَابِهِ يُشَابِهُ أَصْحَابَهُ ۞

Omnis res super porta sua (i.e. secundum conuenientiam suam) *similis est possessoribus suis.* Loquendi genus, quod adhibetur ubi latini dicunt *Qualis - talis.*

For-

Formulæ usus est, quando u. c. ex habitu, vestitu, adparatu &c. vel elegante vel sordido ad hominis indolem moresque, similes concluditur.

CCCLXXVII.

كُلُّ غَرِيبٍ إِلَى بِلَادِهِ رَاجِعٌ إِلَّا غَرِيبُ الشَّامِ يَمُوتُ غَرِيبْ ۞

Omnis peregrinus ad regionem suam reuersurus est, præter peregrinantem Damascum; moritur ille *peregrinus.* Tantam scilicet huius loci amoenitatem esse volunt, ut facile detineantur peregrinantes & patriæ obliuiscantur. Nam, ipso ABVLFEDA teste, quatuor loca sunt in toto oriente amoenissima, inter quæ *Gouta Damasci* primas obtinet. Verba ipsius *Abulfedæ* descripsimus ex opere eius, quod inscribitur *Takovim ilboldân* (i. e. *tabula regionum,*) cuius exemplar manuscriptum reperitur in bibliotheca Regis Christianissimi, sub No. 734. in folio: (*a*) & quidem ex climate sexto, quod est Syriæ. ودمشق مدينة اولية مشهورة وهي قاعدة الشام وغوطتها احدي الجنات الاربعة المفضلة في متنزهات الارض وهي غوطة دمشق وشعب بوان ونهر الابلة وصعد سمرقند وقد فضلت غوطة دمشق في الثلث المذكورين h. e. *Damascus autem urbs est antiqua & celebris, estque metropolis Syriæ. Eius vero Gouta est unus e quatuor hortis deliciarum, qui præferuntur reliquis terræ locis amoenis, quæ sunt Gouta Damasci, & Schab Bovân, & fluvius Abalet & Sad Samarcandæ. At præstantior iudicata est Gouta Damasci tribus memoratis.*

(a) Extat item inter codices bibliothecæ Lugd. Bat., n. 1700. unde hæc eadem verba, cum nonnullis pluribus, ac versione sua, descripsit ALB. SCHVLTENS in *indice geographico* vitæ Saladini subnexo, lectorem porro ablegans ad GOLII *notas in Alferganum* p. 120. 121. 128. *sq.* 174. 178. Ceterum verus libri *Abulfeda* titulus est تَقْوِيمُ ٱلْبُلْدَانِ i. e. recta constitutio regionum.

CCCLXXVIII.

ٱلْكُلُّ بِٱلْعَنَزَآءِ سَوَآءٌ ۞

Omnes hi *in relatione* ad se inuicem *æqualiter se habent*; i. e. nulla in re alter alteri præstat, sed omnes æqualiter improbandi.

CCCXXIX.

ٱلْكُلُّ يَمْضِي مَا يَدُومُ غَيْرُ ٱللَّهِ ۞

Omnia transibunt; non permanet quidquam *nisi Deus*. Consolandi formula pro mortuis.

CCCLXXX.

كُلٌّ مَنْ هُوَ يَبْكِي عَلَى أَمْوَاتِهِ بِزِيِّهِ ۞

Unusquisque flet mortuos suos ex more suo. Alia alios angunt.

CCCLXXXI.

كُلُّ مَنْ هُوَ لِذَاتِهِ ۞

Unusquisque est essentiæ sua, i. e. sibi ipsi. Monitum, ut unus quisque res suas agat, nec existimet, alios earum curam velle suscipere.

CCCLXXXII.

كُلُّ مَنْ هُوَ يَغْزِلُ عَلَى حَبْلِهِ ☼

Unusquisque iterat actiones bonas vel malas *super fune suo*, i. e. in vita sua. Dicitur aduersus eos, qui facta aliorum carpunt.

CCCLXXXIII.

كُلُّ مَنْ هُوَ كَفِيلُ ذَاتِهِ ☼

Unusquisque est sponsor suæ essentiæ, i. e. suus ipsius. Non debemus esse solliciti de vitiis aliorum. (Conf. deinde *prov.* CCCCLXV.)

CCCLXXXIV.

كُلُّ مَنْ هُوَ بِحَالِهِ ☼

Unusquisque est in statu suo, i. e. occupatur circa res suas. Dicitur etiam, quum societatem & commercium alicuius respuunt, quasi diceres: maneat unusquisque domi suæ.

CCCLXXXV.

كُلُّ مَنْ لَهُ عَقْلٌ يَعِيشُ فِيهِ ☼

Unicuique est ingenium suum quo viuit. Formula, qua excusant voluntatum & gustuum varietatem.

CCCLXXXVI.

كُلُّ مَنْ هُوَ بِهَمِّهِ مَا احَدا

يِبْهَمْ هَمّ جَارِهِ ☼

Unusquisque occupatur *in follicitudine sua, nullus sollicitus est de miseria vicini sui.*

Suspecta

Suſpecta mihi heic ſunt ea vocabula, quæ ſine punctis reliqui.

Legendum videtur مَا أَحَدٌ يَهُمّ بِهَمّ.

Moneo tamen, ما حد ſæpius deinde recurrere, prov. CCCCLIX. & ſqq. Ceterum ſic excuſant ſe, qui aliorum neceſſitatibus non ſuccurrunt, ipſi in anguſtiis conſtituti.

CCCLXXXVII.

كُلُّ قَوْلَةٍ غَرِيبًا تَسْوَي ٱلدُّنْيَا ۞

Singula dictio (i. e. Si vel ſemel dicatur:) *Peregrinus* hic eſt! *valet mundum*, i. e. mundi iacturam. Formula, qua dehortantur a peregrinando, quoniam peregrini plerumque contemtui habentur.

CCCLXXXVIII.

كُلّ مَنْ قَوِي قَامَ ۞

Omnis, qui potens eſt, ſurgit. Dicitur in tumultu, ubi audacior & fortior, ac alias ubi ſolertior & callidior præcellit.

CCCLXXXIX.

كَلِمَةٌ تَأْخُذُهُ وَكَلِمَةٌ تَجِيبُهُ ۞

Verbum unum *abducit eum; verbum* unum *reducit eum.* Dicitur de eo, qui inconſtante animo eſt & facile perſuaderi ſibi ſinit. Vel, in bonam partem, de eo, qui pertinaciter adeo ſententiæ ſuæ non adhæret.

CCCLXXXX.

كَلَامٌ يَجُرّ كَلَامًا ۞

Verba trahunt verba.

Conuenire videtur cum noſtro: *Eet Ord tager det andet;* & vel dehortatio a rixis & contentionibus eſſe, vel formula, qua ſe excuſant, qui ab aliis prouocati in lites ruunt.

CCCXCI.

كَلَامُهُ مِثْلُ حَبَّةِ ٱلْبَرَكَةِ كُلُّ أَرْبَعِينَ عَلَى رَغِيفٍ

Verba eius ſunt *ſicut granum benedictionis; ſingula quadraginta ſuper* uno *pane.* Granum benedictionis eſt ſemen aliquod parvum, nigri coloris, & optimi odoris dulcisque guſtus, quod piſtores pani in furnum immittendo inſpergunt. Dicitur de eo, qui multa promittit & nihil præſtat, & cui proinde fides deneganda eſt.

CCCXCII.

كَمَا ٱلْأَبُ كَمَا ٱلْابْنُ

Qualis pater, talis filius. i. e. alter alteri non præſtat. Aptum videtur in malam æque ac in bonam partem hoc proverbium: in quo geminus uſus τοῦ كما illuſtrat ſimilem uſum τοῦ כ hebræi, u. c. *gen. XVIII*, 25.

CCCXCIII.

كَانُونًا كُنْ فِي بَيْتِكَ

Ianuarius eſt; *mane in domo tua.*

كانون commune nomen eſt Decembris ac Ianuarii qui menſes diſtingui ſolent per epitheton *prioris* & *poſterioris.* Vid. SCALIGER *de emendat. tempor. p.* 714. Ceterum ſententia hæc, analoga ſequenti, nihil intempeſtiue agendum monet.

CCCXCIV.

كَانُونُ ٱلْأَصَمُّ أَعْبُرْ لِبَيْتِكَ

Ianuarius durus eſt, *ingredere in domum tuam.* Exſpectanda ſunt agendi commoda tempora.

CCCXCV.

كُنْ مِنَ ٱلْأَوَّلِينَ وَلَوْ أَنَّهُ فِي حَلْقِ ٱلذُّقُونِ ۞

Esto inter primos, *etiamsi* agatur *de radenda barba.* Notauimus supra, (*prov. XXXVI.*) quanto in pretio sit barba apud orientales; adeoque nulla maior iniuria ipsis inferri potest, quam si ipsis per contemtum vel ex mandato iudicis barba eradatur.

Ita se excitant, qui magna facinora audent cum periculo existimationis aut vitæ suæ. Vel stultitiæ arguuntur, qui sic agunt.

CCCXCVI.

كُنْ مِنَ ٱلدُّنْيَا عَلَى حَذَرٍ ۞

Esto a mundo in cautione, i. e. caue tibi a mundo.

Nempe a vitiis seculi, vel abusu temporalium bonorum.

CCCXCVII.

كَيْفَ مَا صَارَ يَصِيرُ ۞

Quomodocumque tandem *euentura sit* res, *eueniat.* Dicitur, cum quis impetu fertur in aliquam rem, nullà adhibita mentis attentione.

Conf. superius *proverb. LXV.*

CCCXCVIII.

كَيْفَ مَا طَابَ لِي ٱلْهَوَاءْ أَذْرِي (a) ۞

Quomodocumque fauens mihi fuerit ventus, *ventilabo.* Sequar fortunam. Ibo quo fata vocant.

(a) Sic rescripsi, pro ادري & الهوا.

CCCIC.

CCCIC.

كَيْفَ مَا مَشَّانَا ٱلرِّيحُ مَشَيْنَا ☼

Quocumque nos ire facit ventus, imus. Eiusdem fere usus ac præcedens. Dicitur etiam, cum quis locum, quo tendit, celare vult.

LAM.

CCCC.

لَا سَبَّدَ مَا يَغْلَطْ ٱلسَّاقِي وَيَجِينَا دَوْرْ ☼

Necesse est ut *aliquando erret pocillator*, & *veniat ad nos* (i. e. nos tangat) *ordo*. Formula, qua miseri meliorem fortunam sibi promittunt, & eos, qui nuperrime ad aliquem fortunæ gradum euecti sunt, cautos esse iubent.

Obserua heic nouam τοῦ سبد significationem. ما pro *aliquando* CASTELLVS enotauit.

CCCCI.

لَا تُخَنْخِمْ تَقَعْ دَقْنَكْ ☼

Ne vores deformiter; cadet barba tua.

Moderate agendum esse, ne honorem perdas.

CCCCII.

لَا تُخَوِّنْ (a) مَا تُخَانْ ☼

Ne prodas, non proderis.

(a) تخين scribendum. Adagii sensus: si bene cum aliis egeris, bene agent illi etiam tecum; & vice versa.

CCCCIII.

لا أُرِيدُ هٰذَا ٱلنَّبِيَّ وَلَا أُصَلِّي عَلَى هٰذِهِ ٱلْقِبْلَةِ ☼

Non volo hunc prophetam, nec oro versus hunc meridiem. (Intelligunt templum Meccanum, versus quod orantes se conuertunt ex præcepto Mohammedi.) Formula, qua se excusant, qui res sibi iniucundas facere nolunt.

CCCCIV.

لَا عُودَ إِلَّا وَفِيهِ دُخَانٌ ☼

Non est lignum, (proprie: frustum ligni, vel baculus ligneus) *nisi* (i. e. *quin*) *in eo fumus* sit. Sensus est: neminem reperiri, cui non aliquid insit malitiæ. In وفيه τὸ و abesse potuisset.

CCCCV.

لَا عَاشَ ذُو وَجْهَيْنِ وَلِسَانَيْنِ ☼

Ne vivat (i. e. apage!) *qui est duarum* (a) *facierum & duarum* (b) *linguarum.*

(a) (b) Immo vero *plurium*: neque enim dualis, sed pluralis numerus est. Imprecatio in homines subdolos, vafros, διψύχους.

CCCCVI.

لَا يَقْطَعُ ٱلشَّجَرَةَ إِلَّا فَرْعٌ مِنْهَا ☼

Non scindit arborem, nisi ramus ex ea. (Videtur intelligere cuneum ligneum vel manubrium securis.) Sensus est: ex eadem familia sæpe nasci, qui uniuersam euertunt.

CCCCVII.

لَا تَكُنْ حُلُو تِنْبَلِعْ وَلَا تَكُنْ مُرّ تِنْبَزِقْ ۞

Ne esto dulcis; deglutiêris: nec esto amarus; exspuêris.

Videndum est, ne quid in officiis amicitiæ vel nimium sit, vel parum.

CCCCVIII.

لَا تَنْصَحِ ٱلْجَاهِلَ يَسْتَعْدِيكَ ۞

Ne moneas stultum; pro inimico habebit te. Ex sacra scriptura desumtum est; & in editis (*a*) occurrit, sed paullo immutatum.

(*a*) An respexit vir perillustris sententiam *Erpenianam LXX*, vel *C*?

CCCCIX.

لِسَانُكَ حِصَانُكَ إِنْ صُنْتَهُ صَانَكَ وَإِنْ خُنْتَهُ خَانَكَ ۞

Lingua tua est *eqvus tuus; si custodiueris illam, custodiet te, si vero prodideris eam, prodet te.* Aeque moderandam esse linguam ac eqvum indomitum.

CCCCX.

أَلَّذِي يَجِي مَعَ ٱلْبَدَنِ مَا يُغَيِّرُهُ إِلَّا ٱلْكَفَنُ ۞

Quod venit cum corpore, non mutat illud nisi inuolucrum funerale. Vide simile prouerbium mox N. CCCCXIX.

Ea, quibus adsueuimus a teneris, ægre dediscuntur per totam vitam.

CCCCXI.

أَلَّذِي يَحْفُرْ لِغَيْرِهِ جُورَةً يَقَعُ فِيهَا

Qui fodit alteri foſſam, cadit in eam.
Ipſiſſimum noſtrum eſt: *Hvo ſom graver en Grav for en anden, falder ſelv i dend.*

CCCCXII.

أَلَّذِي يَسْتَحِي مِنْ بِنْتِ عَمِّهِ لَا يَجِيهِ مِنْهَا أَوْلَادٌ

Quem pudet (a) filiæ patruelis (b) ſui, non venient ei ex ea liberi. Significat, (c) nos non debere amicos & affines ita reuereri, ut rationum noſtrarum obliuiſcamur, ſed cum illis non minus ac cum exteris pactiones & conditiones ſanciendas eſſe.

(a) Pro يستحيي. (b) Immo vero *patrui.* Patruelis autem بِنْتُ عَمِّ | *filius patrui* adpellatur.

(c) Paradoxa & verbis minus conueniens hæc interpretatio mihi videtur.

CCCCXIII.

أَلَّذِي خَلَّفَ مَا مَاتَ

Qui poſt ſe relinquit poſteros, non eſt mortuus. Conſolandi formula de patre mortuo.
Vid. ſupr. N. CCCXI.

CCCCXIV.

أَلَّذِي يَسْرِقُ بَيْضَةً يَسْرِقُ جَمَلًا

Qui furatur ovum, furabitur camelum. Simile eſt illud gallorum: *qui vole un oeuf, vole un boeuf.*

CCCCXV.

أَلَّذِي يَشْتَغِلُ بِٱلْخَرَا يَأْكُلُ مِنْهُ

Qui operatur in ſtercore, edit ex eo. Aeqvum eſt, unumquemque edere ex labore ſuo, i. e. frui præmio operum ſuorum, ſiue bonorum, ſiue malorum.

CCCCXVI.

أَلَّذِي طَلَبَهُ كُلَّهُ فَاتَهُ كُلَّهُ

Qui petit totum, præterit totum. In ambitioſos; cum non adipiſcuntur illud honoris faſtigium, pro quo tamen obtinendo omnia bona conſumſerunt.

CCCCXVII.

أَلَّذِي عُمْرُهُ مَا قَشَعَ شَيْءٌ قَشَعَ
كُسَّ أُمِّهِ كَرْكَرَ وَغُشِيَ

Qui per totam vitam ſuam nihil vidit; cum vidit pudenda matris ſuæ, cachinnatus & deliquium paſſus eſt. Dicitur de iis, qui ob minima fortunæ bona gloriantur, priſtinæ conditionis abiectæ immemores.

CCCCXVIII.

أَلَّذِي عِنْدَهُ فُلْفُلْ يَرُشُّهُ
عَلَى أَلْمَخْلُوطَةِ

Qui habet piper, ſpargit illud ſuper mixtura. Edulii genus hoc eſt, ex lente & *Burgol*, vel huius loco ex oryza, compoſitum. *Burgol* autem eſt triticum coctum, quod deinde ſole ſiccatum molunt. Quoniam vero piper ad id minus neceſſarium exiſtimant,

mant, prouerbium in eos usurpant, qui sumtus faciunt in res superuacaneas.

De τῷ *Burgol* vide superius *proverb. CCCLXVI.*

CCCCXIX.

ألذي فيه عادة ما يغيّرها
سوى ألكفن ۞

In quo est *habitus, non mutabit* quidquam *eum* habitum, *nisi inuolucrum lineum cadauerale.* i. e. Seruabit eum usque ad mortem.

Vide superius *proverb. CCCCX.*

CCCCXX.

ألذي تغنيه ألنملة بسنة
يغبّه ألجمل بلحظة ۞

Quod acquirit formica per annum integrum, *absorbet camelus momento temporis.*

In helluones; qui maiorum suorum diuitias, longo tempore nec sine multa molestia partas, breui profundunt.

CCCCXXI.

ألذي له بيت وحده له ربّ وحده ۞

Qui habet domum solus, (i. e. sibi soli,) *habet dominum* (*a*) *solus*, i. e. Deo soli rationem reddit actionum suarum. Iuvat scilicet, solum occupare domum suam, quo euitentur mali vicini.

(*a*) An *dominium?* nam & hoc τὸ ربّ significat. Ita formula foret, qua laudantur, aut semet ipsi iactant, qui pleniore aliqua libertate fruuntur.

CCCCXXII.

CCCCXXII.

ٱلَّذِي لَهُ رَأْسٌ عِنْدَ ٱلرَّوَّاسِ مَا يَنَامُ ٱللَّيْلَ

Ille, qui habet caput apud coqvum intestinorum & *capitum* bestiarum, *non dormit noctu.* Nimirum, quemadmodum ille, qui ouinum caput huic coquo publicó coquendum dedit, totam ferme noctem insomnem agit, ut scilicet sequente die illud eat quæsitum; sic & quilibet de suis negotiis, dum ea tractantur, est sollicitus.

CCCCXXIII.

ٱلَّذِي لَهُ عَدُوٌّ مَا يَنَامُ

Cui est hostis, non dormit.

CCCCXXIV.

ٱلَّذِي مَا أَكَلَ ثُومًا مَا رِيحَتُهُ ثُومٌ

Qui non edit allium, non est *odor eius allium.* Formula, qua insontes se a crimine liberant & securitatem suam prædicant; item qua eos consolari solent, qui falso accusantur.

An pro رِيحَتُهُ (quæ vox *ventum* notat,) legendum رَائِحَتُهُ?

CCCCXXV.

ٱلَّذِي مَا يَحْسِبْ مَا يَسْلَمْ

Qui non cogitat de periculo, *non salvus evadet.* Nunquam adulandum sibi; sed res in peiore statu esse, semper existimandum, ut semper simus cauti.

CCCCXXVI.

أَلَّذِي مَا يَحْفَظْ عَتِيقَهُ مَا يَحْفَظْ جَدِيدَهُ ۞

Qui non conseruat antiqvum suum, non conseruat nouum suum, nempe amicum.

CCCCXXVII.

أَلَّذِي مَا يَحْكُمْ عَلَى طِيزِهِ مَا يَحْكُمْ عَلَى ذَقْنِهِ ۞

Qui non imperat podici suo, non imperat barbæ suæ (a). Dicitur cum quis pedit. Notandum porro, quod flatus ventris adeo ignominiosus censeatur apud Arabas, præsertim eos, qui deserta loca incolunt, ut nihil turpius apud eos credatur. Ratio est, quod illi, qui eiusmodi flatum emittunt, existimentur cinædi olim fuisse. Deinde is, qui talem crepitum emittit, adstantes videtur aspernari & ludibrio habere. Inter magna crimina, quæ etiam toti familiæ labem inurere possunt, id numeratur; quin etiam eiusmodi criminis memoria ad posteros aliquando transit: ac sæpe visi sunt, qui se gladio dilacerarunt propter eiusmodi flatum.

(a) i. e. honoris sui iacturam facit. Confer de *barba* honore *N. XXXVI. & CCCXCV.*

CCCCXXVIII.

أَلَّذِي مَا يَصْلَحْ تَرْكُهُ أَصْلَحْ ۞

Quod non conuenit, (seu *decet*,) *conuenientius* est *ipsum omittere.* Aut aliquid laude dignum aggrediendum, aut ab opere desistendum.

CCCCXXIX.

أَلَّذِي مَا يُطْعِمُ مَا يَأكُلُ ۞

Qui non cibat alterum, ipſe *non edit.* Neceſſe eſt aliquando largiri, ut voti compotes fiamus.

CCCCXXX.

أَلَّذِي مَا فِيهِ لِذَاتِهِ خَيْرٌ مَا
فِيهِ لِغَيْرِهِ خَيْرٌ ۞

Qui non eſt *ſibimet ipſi bonus* (vel *utilis*,) *non* eſt *utilis alteri.*

In auaros ac malæ indolis homines.

CCCCXXXI.

أَلَّذِي مَا قَدَرَ عَلَى امْرَأَتِهِ
قَامَ (a) لِحَمْأَتِهِ ۞

Qui non potuit prævalere uxori ſuæ, inſurrexit adverſus ſocrum ſuam. Dicitur de illo, qui, cum non valeat ſuſtinere pugnam cum vero aduerſario, iram ſuam in alium conuertit.

(a) Lego عَلَى حَمَتِهِ vel عَلَى حَمْأَتِهِ, quæ uſitatior eſt conſtructio verbi قَامَ, ubi id *inſurgere* notat, æque ac hebraice קום על.

CCCCXXXII.

أَلَّذِي مَا تَقْدِرُ عَلَيْهِ
سَلِّطِ اللّٰهَ عَلَيْهِ ۞

Cui non prævales, iube Deum de eo (*a*) vindictam ſumere.

(a) Proprie: *eius dominum fac Deum.* Monet sententia, cum potentioribus non esse congrediendum: præstare, ut illatas ab iis iniurias Deo ulciscendas commendes, quam ipse tentes vindicare.

CCCCXXXIII.

أَلَّذِي مَا يَقْطَعُ فِيهِ ٱلْكَلَامُ

ضَرْبُ ٱلسَّيْفِ مَا يَقْطَعُ فِيهِ ۞

Quem non percutiunt verba, eum ictus gladii non percutiet. Dicitur in eos, qui nullis vel monitionibus vel increpationibus mouentur.

Vicinum hoc: *quem verba non corrigunt, vix eum verberibus emendabis.* Ceterum قَطَعَ *percussit* ordinarie regit accusativum personæ.

CCCCXXXIV.

أَلَّذِي مَا لَهُ سُطُوحٌ يَنَامُ

يِعَلَى سُطُوحِ جَارَتِهِ ۞

Qui non habet tectum, dormit super tecto vicinæ suæ. Notandum primo, per *tectum* heic intelligi eius partem planam, quæ coelum respicit, super qua æstiuo tempore sub aperto coelo pernoctare solent orientales. Eiusmodi tectum erat, ex quo Christus vel apostoli ad populum concionati fuisse dicuntur (a). Secundo, esse hoc prouerbium excusationem stupri vel adulterii.

(a) Nil tale in historia euangelica narratur, diserte quidem. Interim conf. *Matth. X*, 27. *Luc. XII*, 3.

CCCCXXXV.

أَلَّذِي مَا لَهُ مُسْعِفٌ قَلْبُهُ تَعْبَانٌ ۞

Qui non habet protectorem, cor eius lassum est. Excusatio pro infelicibus.

CCCCXXXVI.

أَلَّذِي مَا لَهُ مَنْ يُرَبِّيهِ
أَلْغُرْبَةُ تُرَبِّيهِ ۞

Cui non eſt *inſtitutor, eum peregrinatio erudiet.* Encomium peregrinationis. (Recurrit N. 493.)

CCCCXXXVII.

أَلَّذِي مَا لَهُ مَوْضِعٌ يَقْعُدُ
بِعَلَى رَأْسِ (a) أَلْحَبْلَة ۞

Is qui non habet i. e. reperit *locum, ſedet ſuper capite grauidæ.* Dicitur de iis, qui in conſeſſum aliquem tarde venientes, locis iam tum occupatis, incommodo ſunt aliis.

(a) Legendum puto أَلْحُبْلَي aut forma participiali أَلْحَابِلَةِ.

CCCCXXXVIII.

أَلَّذِي مَا يَنْفَعُ أَحْمِلْ
(a) بِنَعْشِهِ وَأَدْفَعْ ۞

Qui non eſt utilis, fer eius feretrum & propelle illud in ſepulchrum. Non deploranda mors eorum, quorum vita eſt inutilis.

(a) Malim نَعْشَهُ ſine præfixo ب.

CCCCXXXIX.

أَلَّذِي مَا يَصِلْ لِلْعُنْقُودِ
يَقُولُ عَنْهُ حَامِضًا ۞

Qui non poteſt attingere botrum, dicit de eo quod ſit *acidus.* Nota eſt fabula vulpis, cui eadem hæc adſcribuntur.

CCCCXL.

أَلَّذِي مَا هُوَ مُعَوَّدْ عَلَي
أَلْبَخُورِ تَحْتَرِقْ طِيزُهُ ۞

Qui non eſt adſuetus thuri, aduretur anus eius. Solent orientales nobiliores induſia ſua iniecto in ignem thure ſuffire & calefacere. Dicitur in eos, qui, cum ad meliorem vitæ conditionem peruenerunt, eam ferre non poſſunt, quod ad humiliora & laborem nati ſint.

CCCCXLI.

أَلَّذِي يَنُطُّ أَلسَّاقِيَةَ
مَا يَعُدُّ أَلْخُطُوَاتِ ۞

Qui transſilit riuulum, non numerat paſſus. Cum eſt audendum aliquid, ubi fortitudine & celeritate opus eſt, ad leuioris momenti obſtacula non eſt attendendum.

CCCCXLII.

أَلَّذِي يُوَطِّي كَلِمَةً يُوَطِّي جَبَلًا ۞

Qui ſubmittit verbum, ſubmittit montem. Verborum lenitate & demiſſione animi feroces quoslibet & ſuperbos facile nobis conciliamus.

CCCCXLIII.

أَلَّذِي يَتَّكِلْ عَلَيْكَ يَتَّكِلْ
عَلَى حِيطٍ مَايِلٍ ۞

Qui

Qui innititur super te, innititur super muro labascente. In hominem incurium & negligentem, qui prouinciam sibi demandatam minus bene obit.

De τῶ حيط conf. *p.* 111. De muro, præsidii ac protectionis symbolo, lege RAVANELLIVM *biblioth. sacr.*

CCCCXLIV.

إلزق المسعد تسعد
والزق المتعثر تتعثر ❁

Adhærere (a) felici seu diuiti, *fies felix: verum adhærere (a) misero, miser eris.*

(a) Potius: *adhære.* Quia tamen inusitatior est constructio verbi لزق cum accusatiuo personæ, malim legere ألزق in quarta coniugatione, *coniunge* (tibi.) De voce مسعد monui *p.* 8. Ceterum sententia hæc esse videtur vel in vituperium vel ad excusationem parasitorum, ac eorum, qui, commodi sui caussa, opulentiorum amicitias sectantur.

CCCCXLV.

اللعب ساعة والخرا عادة ❁

Ludus est spatio unius *horæ*, *cacatio autem* est *habitus.* Dehortatio a nimio ludo.

Et vacandum potius rebus necessariis, quamuis eæ viles videantur esse.

CCCCXLVI.

العب بالمقصوص بينما
يأتي الطيار ❁

Lude cum amputata alis suis ave, *donec veniat* alia *volans.* Paruis rebus primum contenti esse debemus, donec maiora obueniant.

Noua heic significatio τοῦ طـيّـار pro quo an legendum طَـائِـر?

CCCCXLVII.

يَـلْـعَـبُ عَلَي ٱلـتَّـغَـارَتَـيْـن

Lusit (a) *super duobus instrumentis.* Dicitur de homine, verbi gratia iudice, qui, pro utraque parte se facere simulans, retributionem utrimque accipit.

(a) Malim: *ludit*; deleta mox præpositione *super*. Instrumenta autem intelliguntur *musica*, *cana* illa quidem aut *perforata*; quamquam arabicæ vocis significationem hanc lexica ignorant: æque ac usum musicum verbi لـعـب eiusque constructionem cum علي.

CCCCXLVIII.

إِلْـعَـبُـوا وَٱضْـحَـكُـوا وَلَا تَـدْعَـسُـوا قُـرْصِي

Ludite & ridete, neque tamen *conculcate placentam meam.* De homine, qui, rebus suis intentus, non curat de iis quæ alii faciunt.

CCCCXLIX.

إِلْـعَـبْ وَحْـدُكَ وَلَا تَـغْـتَـاظْ

Lude solus, nec irasceris. Consilium pro solitudine.

CCCCL.

لَـمَّـا مَـاتَ مُـحَـمَّـدٌ تَـدَبَّـرَت ٱلأُمَّـةُ

Cum mortuus esset Muhammed, rexit se ipsam secta. i. e. Nullius ob mortem, quantumuis eximii viri, imperium cessat. Aduersus eos, qui plurimum sibi tribuunt, & rem publicam absque se nullo modo subsistere posse credunt.

CCCCLI.

لَوْ شَيِّ (a) كَانَتْ غُيِّمَتْ ۞

Si pluere debuisset, fuisset (coelum) *nubilosum.* Dicitur, cum quis rem non prope adeo euenturam credit, quia præuia signa non vidit.

(a) Grammatica requireret لَكَانَتْ, ut in sequentibus prouerbijs.

CCCCLII.

لَوْ كَانَتِ ٱلنَّاسْ كُلُّهَا عُقَّالْ
لَكَانَتْ خَرِبَتِ ٱلدُّنْيَا ۞

Si essent omnes homines sapientes, destrueretur certe mundus.

Vide sententiam *Erpenianam XIX.*

CCCCLIII.

لَوْ كَانَتِ ٱلسَّعَادَةْ بِٱلْإِرَادَةْ
لَكُنَّا سَعِدْنَا وَمَا دَرَيْنَا ۞

Si fuisset felicitas in voluntate, certe essemus felices, nec animaduerteremus.

An est criminatio eorum, qui bonam voluntatem promtaque officia sua liberaliter satis promittunt, at nihil præstant? Num potius laudatio viri probi, aliis, etiam insciis, benefacere gestientis, sed cui, in optima quidem voluntate, vires tamen desunt? Num denique (quod prioribus illis prætulerim,) monet sententia hæc, unum ac merum propositum votumque felicitatis non sufficere ad eam consequendam; nec enim inaduertentibus & quasi dormientibus eam contingere, sed requirere laborem plurimum ac seriam maxime curam viriumque intensionem?

CCCCLIV.

لَوْ كَانْ شَمْسْ (a) لَمَا طَلَعْ فِي ٱلنَّاسِ ۞

Si esset (homo hic) *sol, non oriretur super homines.* Dicitur in eum, qui se & res suas maximi facit, ideoque parum humaniter cum ceteris vivit, ac ea, quæ possidet, nemini facile impertit.

(a) Scriberem fere لَمْ يَطْلُعْ. Et sic rursus *prov.* CCCCLVI.

CCCCLV.

لَوْ كَانَ فِي ٱلشُّرْكَةِ خَيْرٌ لَكَانُوا
ثَلَاثَةً أَرْبَعَةً عَلَى ٱمْرَأَةٍ ✻

Si esset in societate bonum, essent tres, immo *quatuor mariti cum* una *muliere.*

Præstare, ut bonis tuis solus fruaris, quam ut eorum participes alios facias; nam ex communione inimicitias & iurgia sæpe oriri.

CCCCLVI.

لَوْ كَانَ فِي ٱلشَّعْرِ خَيْرٌ (a)
لَمَا طَلَعَ عَلَى ٱلْكُسِّ ✻

Si esset in pilo bonum, non exoriretur (is) *super cunno.* Contra illud, in quo barbam tantopere laudant.

(a) Vid. *not. prov.* CCCCLIV. In eos valet sententia, qui se iactant putatitiis bonis.

CCCCLVII.

لَوْلَا ٱلْأَمَلُ خَابَ ٱلْعَمَلُ ✻

Si non esset *spes, irritum esset opus.*

CCCCLVIII.

لِي بَخْتٌ إِذَا صَادَفَ (a)
ٱلطَّاحُونَ مَا دَارَتْ ✻

Mihi fortuna est talis, quæ *si inciderit in molam, non ea circumvertitur.* Formula, qua suum denotant infortunium: quasi dicerent, fortunam sibi adeo esse adversam, ut etiam solitum rerum cursum, ipsis accedentibus, sistat.

(*a*) Legendum feminine الطاحونة.

MIM.

CCCCLIX.

مَا حدا لحدا ۞

Nemo nemini. Nemini fidendum esse, sed debere unumquemque res suas curare.

τὸ حدا (conf. prov. CCCLXXXVI.) lexicis incompertum pertinet forsan ad dialectum damascenam, eamque recentiorem. Usitatius diceres مَا أَحَدٌ لِأَحَدٍ *Nemo ulli.* Idem in sequentibus tenendum.

CCCCLX.

مَا حدا يَدقّ ٱلطَّبْلَ تحت ٱلبساط ۞

Nemo pulsat tympanum sub tapete. Non dissimile illi euangelii: *nemo accendit lumen sub modio.*

CCCCLXI.

مَا حدا يُصَلّي إلّا ليطلب ٱلغفران ۞

Nemo orat Deum, *nisi ut petat veniam* delicti.

Accipi posset sententia hæc in partem peiorem, de hypocritis, ideo Deum precantibus, ut deinde maiori cum licentia peccent; perinde ac proximum mox prouerbium fucatas eorumdem hominum virtutes reprehendere videtur, utpote quibus illi lucrum suum, gloriamue aut alia commoda, quærunt potius, quam dei honorem. Sed intelligi potest item sensu bono ac pio: natura tam fragiles nos esse ac pronos in peccata, ut eo-

rum veniam precandi quotidie iustas caussas habeat etiam optimus quisque. Alia, de quibus cogitari heic posset, praescindo.

CCCCLXII.

مَا حدا يَعْمَلْ شَيْءٌ لِلَّه إِلَّا بِعِلَّة ۞

Nemo facit quidquam Dei caussa, nisi propter aliquam aliam *caussam.*

CCCCLXIII.

مَا حدا يَسْتَغْنِي عَنْ حدا ۞

Nemo diues est ab alio. (*a*) i. e. Nemo ita diues est, ut alterius alicuius ope non aliquando indigeat. Dicitur aduersus superbos diuites & fastuosos homines.

(*a*) Hoc sensu videtur dicendum potius fuisse عَنْ غَيْرِه vel عَنْ آخَر.

CCCCLXIV.

مَا حدا يَقُول عَنْ زَيْتَه عَكِر ۞

Nemo dicit de oleo suo: turbidum est.
Conuenire puto cum *prov. CCCCLXVI.* Vel: cuique sua placent.

CCCCLXV.

مَا حدا كَفِيل حدا كُلّ مَنْ
هُو كَفِيل ذَاتَه ۞

Nemo fideiussor alterius; quilibet est *fideiussor suimet ipsius.* (Ad litteram: *essentiae suae.*) Dicitur aduersus admonentes & molestos censores.
Conf. *prov. CCLXXXIII.*

CCCCLXVI.

مَا حدا إِلَّا يَشْكُر بِضَاعَتَه ۞

Nemo

Nemo est *quin laudet mercem suam.*
Eodem modo nos dicimus: *Enhver roeser sine Vahre.*

CCCCLXVII.

مَا يَحُكُّ جِلْدَكَ إِلاَّ ظُفْرُكَ ۞

Ne scabat cutim tuam nisi unguis tuus. i. e. Nemo voluntatem tuam te ipso melius exequitur. Est inter prouerbia SCALIGERI, *centuria prima*, *XXVI.* sed paulo aliter.

CCCCLXVIII.

مَا يُشْبِعُ عَيْنَ ٱلْإِنْسَانِ إِلاَّ كَفُّ تُرَابٍ ۞

Non satiat oculum hominis nisi manipulus terræ. i. e. Homo dum viuit, semper appetit, & sola mors, quæ hic significatur per manipulum terræ, (quæ accumulari solet super tumulum demortui,) votis eius finem imponit.

CCCCLXIX.

مَا يَشُخُّ عَلَى (a) أَيْدِ مَجْرُوحٍ ۞

Non mingit super manum vulnerati. Dicitur de inofficiosis, qui ne tum quidem bene mereri dignantur, cum nullo suo damno vel incommodo id præstare possent.

(a) أَيْدِي legendum videtur; & pluraliter vertendum, *super manus.* Conf. *p.* 38.

CCCCLXX.

مَا يُطَالِعُ ٱلزَّيْتَ إِلاَّ ٱلْمَعْصَارُ ۞

Non exprimit oleum nisi torcular. i. e. Vim aliquando adhibendam esse, ut ius nostrum obtineamus.

CCCCLXXI.

مَا فِيهِ غَيْرُ كَلَامٍ مَا فِيهِ غَيْرُ طَقِّ حَنَكٍ

Non in eo quidquam eſt *niſi verba: non in eo* quidquam eſt *niſi ſonitus maxillæ.* Dicitur de homine vano, & qui multa pollicetur, nec præſtat.

CCCCLXXII.

مَثَلُ ٱلْقَمْلَةِ ٱلْمَفْرُوكَةِ تَطْلَعُ ٱلذُّبَابَةُ مِنْ ثُمِّهِ وَتَعْبُرُ مَا يَتَكَلَّمُ

Sicut pediculus contritus (eſt ille puer;) *exit ex ore eius muſca & ingreditur, nec loquitur* ille i. e. maxime manſuetus eſt.

CCCCLXXIII.

مَثَلْ مَا صَفَّقْ لِي أَرْقُصْ لَهُ

Quemadmodum mihi manibus plauſerit, ſaltabo ipſi. Qualem ſe mihi præſtiterit, talis ipſi ero.

CCCCLXXIV.

مِنَّةُ ٱللَّهِ وَلَا مِنَّةُ ٱلْعَبْدِ

Beneficium Dei accipiendum eſt, *non autem beneficium hominis.* Dicitur, quando quis ſtudet beneficium a ſe repellere, & mavult re aliqua carere, quam, illa obtenta, gratum animum exhibere teneri.

CCCCLXXV.

مَنْ حَبَّكْ سَبَّكْ

Qui amat te, conuiciatur tibi. Non eſſe in malam partem accipiendas amicorum obiurgationes.

CCCCLXXVI.

مَنْ حَبَّ عَبْدًا عَبَدَهُ
وَلَحِقَهُ إِلَى بَلَدِهِ ۞

Qui amat servum, (peculiariter nigrum,) *adorat eum & sequitur eum in regionem eius.* Formula, qua excusant nimium amorem erga personas minus pulchras.

CCCCLXXVII.

مَنِ ٱحْتَاجَ إِلَى كَلْبِ
سَمَّاهُ (a) حَجُّ كَلْبُ ۞

Qui opus habet cane, vocat eum Domine Canis! In textu pro *Domine* habetur حجّ quod proprie significat *peregrinatorem Meccanum*, & late sumitur pro honoris titulo.

(a) Heic vel præponenda vocandi particula يا, vel legendum in accusatiuo حَاجًّا كَلْبًا *Dominum canem.* Utique *Elif* inserendum post litteram *Hha*. Formula est qua se excusant, qui vilibus aut malis hominibus adulantur, dum eorum ope indigent.

CCCCLXXVIII.

مَنْ خَدَمَ خُدِمَ ۞

Qui servit, ei servietur. Exhortatio ad humilitatem, & ad seruitutem æquo animo ferendam.

CCCCLXXIX.

مَنْ (a) خَرَجَ وَمَا حَسَبَ ٱفْتَقَرَ وَمَا دَرِي ۞

Qui expendit, & non supputat, fit pauper, nec animadvertit.

(a) Malim

(a) Malim أَخْرَجَ in quarta coniugatione, ut synonymum أَنْفَقَ.

CCCCLXXX.

مَنْ دَقَّ ٱلْبَابَ سَمِعَ ٱلْجَوَابَ ۞

Qui pulsat portam, audit responsionem. Talionem esse exspectandam.

CCCCLXXXI.

مَنْ أَسْلَمَ سَلِمَ ۞

Qui amplectitur Islamismum, i. e. legem & religionem Muhammedis, *erit salvus.* Referunt, milites Muhammedis & successorum eius, cum vastarent urbes, & omnes internecioni darent, his verbis compellasse illos, quos cædere iubebantur. Hinc & christianos, inopia & tyrannide oppressos, hortantur eadem hac formula, ut ad Muhammedis religionem se recipiant,

CCCCLXXXII.

مِنْ شَانِ مِسْمَارٍ نُضَيِّعُ نَعْلَةً ۞

Propter clavum perdemus ferrum equi? Cauendum est, ne parsimonia rei leuis momenti maiora perdamus.

Diuisim scribo مِن شَان. Porro نَعْلَة proprie *calceus* heic soleam ferream sub ungulis equorum notat, quam nos item adpellamus *en Heste-Skoe.*

CCCCLXXXIII.

مَنْ تَطَلَّعَ فِي عَشَآءِ جَارِهِ بَاتَ بِلَا عَشَآءٍ ۞

Qui

Qui respicit ad coenam vicini sui, pernoctat absque coena. Ipsi nobis prospicere de rebus necessariis debemus, non eas ab aliorum liberalitate exspectare.

CCCCLXXXIV.

مَنْ تَطَلَّعَ فِي أَكْبَرَ مِنْهُ تَعِبَ ۞

Qui respicit ad maiorem se, fatigatur Dicitur in ambitiosos, qui viros dignitate & opibus se longe præstantiores multo studio imitari conantur.

CCCCLXXXV.

مِنْ طُولِ عُمْرِكِ يَا زُبَيْبَةُ
فِي طِيزِ هَذَا ٱلْعُودِ ۞

A longitudine ætatis tuæ, (i. e. per totam vitam tuam,) *o tu uva passa, in podice huius ligni* fuisti. Dicitur, cum quis committit aliquod crimen præmeditatum; quod attribuunt malæ indoli & prauæ dispositioni; quasi non mirum, quod talia perpetrauerit.

CCCCLXXXVI.

مَنِ ٱعْتَدَى عَلَيْكَ (a) ٱعْتَدِي عَلَيْهِ ۞

Qui aggressus te fuerit, aggredere illum. Formula ex Alcorano (*b*) desumta, quam christianæ religionis doctores adducunt contra Muhammedem, quasi his verbis offensarum condonationem tolleret, quæ tamen a Christo maxime commendatur, ita ut vel hoc solo nomine reliquas omnes christiana religio multum antecedat. Verum respondent muhammedicæ legis doctores, sententiam hanc de solo belli tempore a propheta ipsorum intellectam fuisse. Prouerbium adhibetur ab illis, qui vim vi repellunt.

(a) Delendum τὸ Je vocis إعْتَدِي.
(b) *Sur. II, 189. Hinkelm.*

CCCCLXXXVII.

مَنْ (a) عَاشَ (b) ٱلْقَوْمَ أَرْبَعِينَ
يَوْمًا صَارَ مِنْهُمْ ۞

Qui frequentat gentem (b) quadraginta dies, erit ex iis. Similes reddimur iis, quibuscum conuersamur.

(a) عَاشَرَ legendum heic, & item in proxime sequente prouerbio.
(b) De τῷ قَوم repete quæ monui *p.* 105.

CCCCLXXXVIII.

مَنْ (a) عَاشَ مَنْ غَيْرِ
مِلَّتِهِ مَاتَ بِغَيْرِ عِلَّتِهِ ۞

Qui societatem init cum hominibus *alterius religionis*, (sectæ, regionis, professionis, conditionis &c.) *moritur alio morbo quam suo.* Dicitur, cum quis ad eos, quos non nouerat probe, se recepit, ac deinde ab iis multa mala patitur.

(a) عَاشَرَ.

CCCCLXXXIX.

مَنْ عَمُودٍ إلَى عَمُودٍ يُفْرِجُ ٱلْمَعْبُودُ ۞

A columna ad columnam dissipabit angustias (i.e. opitulabitur) *adorandus* (i. e. Deus.) Natum volunt hoc prouerbium ab homine detento in carcere, in quo erant duæ columnæ. Accidit autem, ut præfectus urbis in loco, ubi erat carcer, ædificaturus, alteram columnarum, cui alligatus erat captivus, tolli,

tolli, eumque ad alteram transferri iuberet. Sed & hæc non multo post, ædificio id exigente, sublata fuit, & captivus hac occasione libertati restitutus. Consolantur porro hoc prouerbio eos, qui laborant,& mala patienter ferre, spemque de promto Dei auxilio concipere iubent.

CCCCXC.

مِنْ فَسْوَةٍ يُغْشِي وَمِنْ ضَرْطَةٍ يَمُوتْ ✲

Ex sibilo ani deliquium patitur, & ex crepitu ventris moritur. Dicitur in delicatulos.

Rursus heic, ut antea sæpe, Mstum in utroque verbo vitiose præfigit ب.

CCCCXCI.

مَنِ ٱسْتَفْقَدَكْ بِعَظْمَةٍ
كُنْتَ عِنْدَهُ عَظِيمْ ✲

Qui visitat te cum osse, magnus es apud eum. Dicitur, cum munus aliquod, utut parvum, vel datum vel acceptum est.

Adeoque monet, non ex pretio suo, sed ex donantis animo, æstimanda munera esse.

CCCCXCII.

مِنْ كُلِّ ذَقْنٍ شَعْرَةٌ شَعْرَةٌ صَارَتْ ذَقْنًا ✲

Ex singulis barbis pilus pilus (i. e. singuli pili; nempe, sumantur:) *fiet barba.*

Utuntur prouerbio hoc, ad significandum, quod leuia fiant onera & ardua negotia, quando in iis suscipiendis operam suam plurimi iungunt.

CCCCXCIII.

مَنْ لَا لَهُ مَنْ يُرَبِّيهِ ٱلْغُرْبَةُ تُرَبِّيهِ ✲

Cui non est qui educet eum, educabit eum seculum, i. e. casus, fortunæ & temporum vicissitudo.

Adsuit, sed paullo immutatum, *N. CCCCXXXVI.* ubi meliorem eius interpretationem vir perillustris dedit.

CCCCXCIV.

مَن لا لَهُ شُغُلاتٌ يُعَبِّر لَهُ رِطيلاتٍ ✿

Is, cui non sunt occupationes, perpendit pondera. Dicitur, cum quis rebus futilibus & vanis operam nauat.

Posterius لَهُ omittendum videtur fuisse, aut dicendum لِنَفْسِهِ *sibi*.

CCCCXCV.

مِن هَذا البَاب يَفْتَح الله ✿

Ex hac porta (i. e. rerum loco & statu) *iuvet* (*a*) *Deus*! Dicitur cum nil opis ab aliquo speratur. Sumta formula a mendicis, qui, cum ante portam aliquam repulsam passi sunt, repetunt formulam, qua arceri & dimitti solent, nempe يَفْتَح الله *iuvet Deus*!

(*a*) Forsan rectius, *iuvabit*. In altero illo sensu dicendum fuisset لِيَفْتَح الله.

CCCCXCVI.

المَوتُ وَالحَيَاةُ بِيَد الله ✿

Mors & vita in manu Dei, i. e. a Deo pendent. Consolandi formula, de amico demortuo. Etiam sic hortantur, ut testamenta aliaque negotia scripto consignent, cum scilicet incerta sit mortis hora.

NUN.

NUN.

CCCCXCVII.

نُجَيْسٌ تَعْرِفُهُ خَيْرٌ مِنْ جُيَيِّدٍ تَتَعَرَّفُ فِيهِ ۞

Malus, quem noueris, melior eſt *probo qui tibi cognoſcendus eſt.*

Facilius nempe eorum technas euitaueris, quorum malitia perſpecta tibi iam antea eſt, quam horum, qui probi videntur, at non ſunt.

CCCCXCVIII.

نَحْنُ مِنْ ضُيَيْعَةٍ صُغَيِّرَةٍ نَعْرِفُ بَعْضُنَا ٱلْبَعْضَ ۞

Nos, ex villa parua, nouimus alii alios. Dicitur aduerſus illos, qui maiores videri volunt, quam ſint; & utplurimum adhiberi ſolet ab eiusdem patriæ hominibus, cum aliquis inter eos in exteris regionibus nobilitatem generis ſibi falſo arrogat.

CCCCXCIX.

ٱلْمُنْدُونُ مَا يَنْشَعُ خَيْرًا ۞

Vafer non videbit bonum. مندون (vox plane (†) vulgaris) eſt is, qui nimiam adhibet cautionem & deliberationem, &, cum rem aggreſſus fuerit, videtur ipſum iam poenitere. Senſus eſt: alacriter, & cum fiducia, omnia aggredienda eſſe.

(†) Tanto magis mirum, eam in lexicis deſiderari. Ex etymo potius *hominem inſtabilem* ſignificaret, quam vafrum.

D.

يُنَازِعُ مِنْ طُوْلَةِ ٱلرُّوحِ ✿

Agonizat præ longitudine spiritus. De eo, qui fortunis omnibus euersus miseram ducit vitam, neque tamen omnino perit.

DI.

أَلْاِسْتِنْظَارُ يُوَرِّثُ ٱلْاِسْتِصْفَارَ ✿

Exspectatio creat dysenteriam. Querimonia de exspectatione. Dicitur, cum quis a se amouere exspectationem studet. Pro *creat* dicendum ad verbum foret *hæreditate donat.*

Omissum lexicis إستصفار *dysenteria*, dicta (ut videtur) a flauo aut pallido colore, quem morbus iste inducit.

DII.

أَلنَّظَافَةُ مِنَ ٱلْإِيمَانِ ✿

Munditiei ex fide est. Est familiare Muhammedanis, propter lotiones, quas ex præcepto legis ante preces, quas in die quinquies recitant, adhibere solent.

Quinque preces illæ quotidianæ sunt *meridiana*, *pomeridiana*, *vespertina*, *nocturna*, ac *matutina*. Vid. *compend. relig. mohammed.* a RELANDO editum *p.* 97. *sq.* Ceterum de Mohammedanorum (maxime Persarum) precibus præ aliis diligenter commentatus est CHARDINVS *itinerar. T. VII. p. m.* 245. — 329. deque purificationibus ac lotionibus eorumdem *p.* 105. — 244. Quo valeat prouerbium, (si omnino prouerbium id sit,) non facile dixerim.

DIII.

نَفَضَ قُنْبُرَتَهُ نَفَضَ كِيسَهُ ✿

Secussit (a) cristam suam (u. gr. gallus gallinaceus.) *Secussit saccum suum.* Duplex est prouerbium, quorum prius de eo usurpatur, qui iram & iactantiam

pate-

patefacere incipit; poſterius de obærato dicitur, qui ad ultimum obolum omnia expendit.

(a) *Quaſſauit, excusſit.*

DIV.

أَلنَّفَاقُ مَلِيحٌ وَلَوْ أَنَّهُ بِٱلْمَوْتِ ۞

Le Debit eſt bon, quand même ce ne ſeroit que par la Mort.

DV.

أَلنَّارُ لَا تَنْكُشْهَا وَٱلْعَجُوزُ لَا تَنْكُزْهَا ۞

Ignem ne remoueas, & vetulam ne pellas. Uterque enim crepat.

DVI.

تَنَامُ ٱلْعَصَافِيرُ وَعَيْنِي لَا تَنَامُ ۞

Dormiunt paſſeres, & oculus meus non dormit. Significatu & uſu conuenit cum eo quod ſequitur.

DVII.

تَنَامُ عَيْنٌ مِنَ ٱلْهَمِّ خَالِيَةٌ ۞

Dormit oculus a ſollicitudine vacuus. Sic reſpondent ægroti & adflicti, cum interrogantur quomodo ſe habeant.

DVIII.

نَامْ مَعَ ٱلدَّجَاجِ وَٱسْرَحْ مَعَ ٱلنِّعَاجِ ۞

Dormi cum gallinis, & exi e domo cum ouibus. Vide ſuperius N. CXCVI.

Lege نَمْ.

DIX.

نَاكَنِي نَيْكَةً بِلَا بُزَاقٍ ۞

Futuit me futuitione abſque ſputo. Dicitur cum quis maxime ſe deceptum fuiſſe ſentit.

DX.

DX.

يَنِيكُ كَفَّهُ ✡

Futuit volam manus eius. (*a*) Dicitur de homine valde lascivo & παιδεραστῇ.

(*a*) An potius *sua*?

DXI.

أَلنَّيْكُ بِٱلْهَنْدَسَةِ مَا هُوَ بِكِبْرِ أَيْرِهِ ✡

Versionem (eadem de caussa ac *N. LII.*) non adscribo. Prouerbii usum sic exponit vir perillustris: Significat, dexteritatem fortitudini præstare, &, quamuis optima adsint instrumenta, non ideo tamen opus perfici, nisi mens & ars simul concurrant. „ Subnotat porro ista“: „Putantur orientales „maiori præputio, quam ceteræ nationes, præditi esse; eamque ob caussam circumcisionis legem fuisse latam, nonnulli „autumant“. An quia foecunditati obstare præputium credebatur? PHILO *de circumcis. p.* 810. obseruatum dicit, τὰ τεμνόμενα τῶν ἐθνῶν πολυγονώτατα καὶ πολυανθρωπότατα εἶναι. Iudicent alii. Ego, certe in gente hebræa, circumcisionis originem ex illa caussa minime deriuarim.

HE.

DXII.

هَذَا ٱلرَّأْسُ مُعَوَّدٌ لِهَذِهِ (a) ٱلضَّرَبَاتِ ✡

Hoc caput assuefactum est his verberibus.

Dictum est vel in laudem viri mansueti, qui patienter ferre iniurias didicit; vel in vituperium hominis, quem nullæ poenæ, nullæ comminationes, potuerunt ac possunt emendare. (*a*) Pronomen singulare heic pro plurali ponitur.

DXIII.

هَذَا غَطَّى وَوَطَّى ✡

Hic operuit & depressit, i. e. omnem excessit modum; ideoque omni venia indignus est. غَطَّى *operuit,*

operuit, est terminus in quibusdam ludis adhiberi solitus. وَطَّي *depressit*, significat quoque *subegit mulierem:* adeoque his duobus verbis notatur homo ludo & scortationibus deditus.

DXIV.

ٱلْهُرُوبُ عَنْهُمْ غَنِيمَةٌ ۞

Fuga ab iis (f. eorum) est *præda.* Nocituræ conversationes euitandæ sunt.

DXV.

ٱلْهَرِيبَةُ نَصُّ (a) ٱلْمَرْجَلَةِ وَإِنْ خَلَصْتَ بِكَبَالِهَا ۞

Fuga est *dimidium virilitatis: si vero salvus fueris*, est *perfectio eius.* Non semper ignominiæ ducendam esse fugam; vel ipso TVLLIO teste, *pro Milone:* Quotiescumque vita nostra in aliquod discrimen adducitur, toties honesta est omnis ratio expediendæ salutis.

(a) Lego نِصْفُ. Ac deinde كَمَالُهَا.

DXVI.

أَهْلًا وَسَهْلًا وَإِنْ كَانَ فَرْجُكَ مَلْآنْ ۞

Bene veneris; etiam bene veneris! præsertim si sinus tuus (lacinia vestis tuæ) *plenus* est.

Nempe numis aliisue bonis rebus. Formula hac salutantur quorum aduentus gratus est, aut a quibus commoda quædam exspectantur.

DXVII.

هَمُّ سَنَةٍ شُغْلُ سَاعَةٍ ۞

Sollicitudo unius anni labor unius horæ est. Sæpe deterremur ab opere propter opinionem conceptam de eius difficultate; quæ tamen, ubi serio rem ag-

gredimur, plane evanescit. Et adhibetur hæc formula ad eiusmodi opinionem eiiciendam.

DXVIII.

وَمِنَ ٱلَّذِي خَلَّا ٱلْحِمَارَةَ وَرَاحَ ☼

Est ex iis, qui missam fecit (a) *asinam & ivit.* (a) Dicitur de iis, qui desperantes fortunæ nuntium mittunt & ab incepto plane desistunt.

(a) Malim: *fecerunt, iverunt*; & legendum puto ٱلَّذِينَ خَلَّوا — وَرَاحُوا Recurrit tamen ٱلَّذِي sensu plurali inferius *N. DXXXVI.*

DXIX.

عِيشِي لُقَيْمَةٌ ☼

Hæc vita est buccella. Iubent hac formula paucis esse contentos, neque tot labores & pericula adire pro caducis huius vitæ bonis, cum scilicet alimentum sit sola res vere necessaria.

VAV.

DXX.

وَاحِدٌ حَامِلٌ ذَقْنَهُ وَآخَرُ تَعْبَانٌ فِيهَا ☼

Unus gestat barbam suam, & alter grauatus est *ea.* Dicitur de iis, qui, nimio Zelo ducti, aliorum rebus sese immiscent, & ægre ferunt ea, quæ alii libenter vel faciunt vel patiuntur.

DXXI.

بِوَّهْ (a) أُبُورَةٌ حَبَشِيَّةٌ ☼

- - - - Adhibetur, cum petitioni cinædi aut mulieris (impudicæ) respondere nolunt, iubendo eos valere.

(a) Aut بِوَّهَا,

DXXII.

DXXII.

بِوَدِّهَا أَيْرٌ مِنْ حَدِيد
وَظَهْرٌ مِنْ (a) بُولَاد ✲

---- In mulierem libidinoſam & maxime laſcivam.

(a) فولاد lege. Nam altera iſta forma Perſica eſt, per B durum ſcribenda.

DXXIII.

بَوَدّه قطٌّ مِنْ خَشَبٍ يَصْطَادُ مَا يَأْكُلُ ✲

In votis habet felem ligneum, (i. e. Da ipſi felem ligneum,) qui *piſcatur nec edit.* Dicitur in auaros dominos, qui domeſticos ſuos & operarios minus bene nutriunt.

DXXIV.

بِوَدِّه كُسٌّ يَنْتُفُ شَعْرَتَهُ ✲

---- Per contemtum dicitur in illum, qui nulli labori honeſto ac ſerio operam dare poteſt.

DXXV.

أَلْمَوْضِعُ ٱلضَّيِّقُ يَسَعُ أَلْفَ مُحِبٍّ ✲

Locus anguſtus continet mille amicos.

Conuenit cum noſtro: *Der er altiid Rum, hvor der er Hierterum.*

DXXVI.

أَوْعَدْتَنِي بِٱلْحَلَقِ بَخْشْتْ
أَنَا آذَانِي مَا (a) جوا
وَتَلَّفْتُ أَنَا آذَانِي ✲

 Spo-

Spopondisti mihi inaures, perforavi ego aures meas: non attulisti inaures, corrupi ego aures meas. Querimonia de non præstita fide.

(a) Legendum مَا جَآءُوا proprie *non venerunt* inaures.

DXXVII.

وَقْتَ ٱلضِّيقِ لَا أَخٌ وَلَا صَدِيقٌ ✻

Tempore angustiæ nec est frater, nec amicus. Vid. superius N. CCXCVI.

DXXVIII.

وَلَدُ ٱلْحَلَالِ عِنْدَ ذِكْرِهِ (a) بِيبَانُ ✻

Filius ingenuus (legitimus) *ad mentionem sui apparet.* Formula, qua gaudium suum testantur amico, qui ex improviso advenit, & tum, cum de eo fiebat sermo.

(a) Dele τὸ ب ante futurum hoc, ut alias sæpe. Rursus *N. DXXXVII.*

JE.

DXXIX.

يَا بَاخِلِينَ بِٱلنَّارِ يَا تُرَى
فِي أَيِّ شَيْءٍ تَتَكَرَّمُوا ✻

O avari ignis! libenter scirem, in qua re liberales estis? Vertimus: *libenter scirem;* sed proprie sonat, *o vides*, vel, *o videbis!* & est arabismus.

Indicat sententia, ab homine avaro exspectari vix posse vel minima officia.

DXXX.

يَا مُسْتَرْخِصَ ٱللَّحْمِ عِنْدَ ٱلْمَرَقِ تَنْدَمُ ✻

O qua-

O quærens vili pretio carnem! apud iuſculum poenitebit te, i. e. quando iuſculum ederis.
Sic increpantur auari, & ſumtibus intempeſtiue parcentes.

DXXXI.

يَا صَبْرَ أَيُّوبَ عَلَى بَلْوَاهُ ۞

O patientiam Jobi ſuper ærumnis eius! Formulam hanc adhibent cum maxime moleſtantur vel maximis damnis afficiuntur.

DXXXII.

يَا طَالِبَ ٱلدِّبْسِ مِنْ طِيزِ ٱلنِّمْسِ أَهْدَاكَ ٱللّٰهُ إِلَى حِمْصَ ۞

O petens mel (vel defrutum uvarum paſſarum *) *ex podice muſtelæ! Dirigat te Deus ad Hems!* (Nomen hoc eſt urbis Syriæ, inter Antiochiam & Damaſcum ſitæ, GOLIO *Emeſſa* dictæ.) Dicitur in mercenarios & viles homines, ex quibus nihil boni ſperandum eſt.

* Immo potius *dactylorum* mel. Vid. ERPENIVS *ad proverb. SCALIGER*, *I*, 40. Eodem modo iudæi interpretantur hebræum דבש *deut. VIII*, 8. 2 *chron. XXXI*, 5. Emeſſenæ urbis ac regionis, eiusque incolarum, laudes ex arabibus canit ALB. SCHVLTENS in *indice geogr.*, vitæ Saſadini ſubnexo, ubi ſita dicitur urbs illa media *inter Damaſcum & Halebum* (hodie *Aleppo*) via. Nimirum Halebum haud adeo procul ab Antiochia ſitum eſt, verſus orientem. Ceterum in prouerbio arabico ſpectari aliquid videtur, quod ad indolem vel Emeſſenorum, vel urbis ac regionis illius, pertineat: quod neſcio quale ſit.

DXXXIII.

يَا طَالِبَهُ كُلَّهُ يَا مَا تَجِدُهُ كُلَّهُ يَا مَا تَعْدِمُهُ كُلَّهُ ۞

O petens totum! aut invenies totum, aut privaberis toto.

يَا مَا vulgariter dicitur pro أَمَّا

Conf. N. CCCCXVI. cum quo nostrum hoc convenire videtur. Nisi potius conferendum sit latinum illud: *Aut Caesar, aut nihil.*

DXXXIV.

يَا مُسْتَعْجِلُ قِفْ (a) لَمَا قُلْ لَكَ ۞

O maturans! sta, ut dicam tibi, (ut alloquar te.) Dici solet ab eo, qui, cum maxime festinat, a variis impedimentis detinetur.

(a) Lego لِأَقُولَ vel حَتَّى أَقُولَ.

DXXXV.

يَا ٱلَّذِي تَعِبَ وَشَقِيَ خَابَ ٱلَّذِي أَمَّلَ ۞

O tu! qui lassus es & miseriam passus; frustatus es eo quod sperabas. Dicitur, cum quis, post exantlatos labores, non fit voti compos.

DXXXVI.

يَا ٱلَّذِي مَثَلْنَا تَعَالُوا إِلَي عِنْدَنَا ۞

O vos, qui similes estis nobis, venite ad nos! Respondet illi latinorum: *similis simili gaudet.*

Legerem يَا ٱلَّذِينَ مَثَلُونَا. Conf. *N. DXVIII.*

DXXXVII.

يَا مَا بِيَصِيرُ فِي ٱلدُّنْيَا ۞

O quam fiunt res *in mundo!* Consolandi formula; quasi diceres, plura talia, eisque maiora, indies accidunt.

Lege يَصِيرُ, omisso τῷ ب.

DXXXVIII.

يَا مَا عَدَا (a) عَلَي هَذَا ٱلرَّأْسِ كَاسَاتٌ ۞

O quam

O quam transierunt super caput hoc multi *calices!* i. e. O quam multa pericula & infortunia perpessus est! كاسات plurale a singulari كاسٌ *calix*, quæ vox pro insignibus vitæ casibus & ipsa etiam morte adhibetur, quod patet ex loco *Matth. XXVI*, 39. ubi Christus orat patrem, dicens: *transeat a me calix iste.*

(a) An potius عُدَّتْ legendum, usitato Arabibus construendi modo?

DXXXIX.

يَا مَا كَسَرَ ٱلْجَمَلُ بَطِّيخًا ✿

O quam fregit camelus pepones! Camelus aliquando lora rumpit, & per campos melonibus consitos discurrit, & plurimos eorum conculcat. Quodsi igitur talis camelus alia vice unum vel alium frangit, hac formula utuntur; quasi dicerent, non esse id mirandum, quandoquidem his maiora damna olim intulerit. Transferunt proverbium in hominem, qui minus aliquod facinus perpetrare non erubescit, cum antea multo maiora flagitia commiserit. Quin & usurpatur ab eo, qui non hæret in faciendo parvos sumtus, maioribus assuetus.

DXL.

يَا مَا أَهْوَنَهَا بِٱلْفُمِّ يَا مَا أَصْعَبَهَا بِٱلشَّرْمِ ✿

O quam facillima ea res *in ore, at o quam difficillima in ano!* Conuenit quoad sensum cum proverbio *CCCCLXVIII.*

DXLI.

يَا مَلَايِكَةَ ٱللّٰهِ لَا تَأْتُونَا وَلَا نَأْتِيكُمْ ✿

O an-

O angeli Dei! ne noceatis nobis, nec noceamus vobis! Ex Alcorano sumtum. Adhibent, cum a se invicem separantur, & iubent ne alter alterius negotiis se immisceat.

DXLII.

أَيْدَكَ مَا تْخَرِّبْ بَيْتَكْ ✲

Manus tua liberalis *non destruit domum tuam.* Formula exhortandi ad liberalitatem.

Lexicorum & grammaticorum auctoritate scribendum أَيْدِيكَ vertendumque *manus tuæ non destruunt* κ. τ. λ. Conf. *p.* 38. & 181. Sic item in sequente proverbio foret أَيْدِيهِ.

DXLIII.

أَيْدُه بَالْكَرْم خَشَبَة ✲

Manus eius in liberalitate lignum est; i. e. dura & arida. Dicitur ad designandum avarum.

DXLIV.

يَدًا لَا تَقْدَرْ تَعَضَّهَا بُوسْهَا ✲

Manum quam *non potes mordere, eam osculare.*

Lege بُسْهَا. Proverbii sensus ultro patet.

DXLV.

لِيَوْم اللَّه يُعِين اللَّه ✲

Ad diem Dei auxiliabitur Deus. Cum monentur de immutanda vitæ ratione, additis minis de iudicio Dei, hoc dictum allegant, ut se excusent & resipiscentiam differant.

F I N I S.




3 2044 024 322 8(